ex Charles Crawley

THEATRI OXONIENSIS *ENCÆNIA,*

SIVE

Comitia Philologica.

Julii 7, Anno 1693. celebrata.

Mr Ripley

OXONII,

E THEATRO SHELDONIANO, *An. Dom.* MDCXCIII.

PROLOQUIUM.

POST novennii ſilentium, Theatrum Auditores, nunc primum ingredimur: cujus orbitatem dum mecum reputo, ſubit interim triſte Felli deſiderium, Ormondi fatum, & acerbior adhuc Caroli recordatio. Tuti enim illius patrocinio ſolenni hoc otio fruebamur, annua ſemper redibant Comitia, dum ſua Carolus hedera, ſua Albion induebatur oliva. Nolo autem in hoc conſeſſu, & inter formas tam elegantes, luctui omnino indulgere: nolo diem hunc funeſtari lachrymis, ſolum ex tot millibus, Muſis lætitiæque conſecratum. Tam Auguſti principis memoriæ pie admodum litemus: plurimas illius virtutes efferamus, ita tamen ut Gulielmi interim innoteſcat fama, & ab oblivione vindicetur Mariæ decus. Quam merito enim laudibus eos proſequimur qui longa, & hæc nobis fecerunt otia, & quorum tutelæ debetur quod Theatrum non ingredimur, ſicuti olim mos obtinuit, ferro deſtinati & ruinæ. Hiſce malis erepti tutelares libenter agnoſcimus Deos, eoſque celebramus ad roſtra erecti, quorum beneficio conceſſum nobis eſt, ut impune ibi concionemur. Gratulor ergo vobis, Academici, hunc diem in quo artium ſeſe exerit ubertas, Heroum memorantur res geſtæ, & Sheldoni iterum reviviſcit fama. Cum enim de illius prudentia multi ſatis dubitarent, largitionem alii damnarent, cauſam nunc eſſe intelligimus cur mœnia hæc tam Auguſta cernimus, cur in Athenas unde olim tot artes reportavit, præcipuas ſuas facultates tranſtulit. Quo dignum Muſis pateret hoſpitium, divitias libenter profudit, nihilque vix ſatis ſplendidum excogitare potuit, dum ſuæ & veſtrum omnium dignitati conſuleret. Literarum ergo domicilium nunc tandem videmus quo ingenia melius acuamus, non ſumptuoſam aliquam molem quo noſtros & peregrinantium tantum oculos detineamus. A ſacris autem hiſce mœnibus ii procul abſcedant qui de neſcio quo ſolliciti male ominantur huic noſtræ lætitiæ, quique Regum iri immemores Athenas ſuſpicantur. Ut Gulielmi præcipue enarrentur laudes, illius non ſolum virtutes, ſed & loci hujus reverentia, conventus hujuſ-

ce ratio poſtulant: Tu pompæ Theatralis pars ingens, coronas tibi undique offerimus, dum multus hinc inde Flaccus, & plurimus in honorem ſurgit Virgilius. Quanta arte & conſilio aciem inſtruis, legiones diſponis, ita bene depinget unus & alter, ut Mœonidi vix cedat vates, Alexandro non cedat Imperator. Qui triumphos ab incunabulis repetent plurimi aderint, nonnulli forſan qui multos etiam in incunabulis recenſeant. Quid mari poſſis, alii gloriabuntur, quid Ludovicus non potuit, ex recenti clade, quid non poterit, ex futura conjicient. Quæ geſſiſti enim non ſolum narrabunt, ſed quæ geres prælia, laudeſque tuas egregias utcunque, futuras tamen ampliores, vaticinii quodam jure præſagient. Fractas ergo naves, & diſſipatas referent, ruinam undique inter fluctus depingent, & multiplicem in undis errantem Delon. Quo Tuæ etiam, Maria, eluceant virtutes, Muſarum ſæpe & Apollinis, Tuum autem præcipue invocabunt numen. Maximam ergo pietatem, notam in omnes benevolentiam, quo pacto Te in animos omnium inſinuas, reperientur ubique qui meminerint, nuſquam qui abunde ſatis laudarint. Dignum autem Vobis ſpectaculum eos nunc in Scena intueri quos in regno habituri eſtis conſiliorum ſocios, & de imperii rebus Vobiſcum una ſollicitos. Quo munia hæc obeant fideliter, quo prudenter etiam, ſumma interim à nobis adhibetur diligentia, quorum omnes curæ in eo tantum evigilant ut tales à nobis diſcedant quales nec vos Patricios, nec Anglia dedignetur Patronos. Quæ nunc caſtra depingunt, iiſdem mox intererint, vera brevi movebunt bella, quique veſtros nunc celebrant, ſuos mox audient Triumphos. Quoties periclitabitur regni ſalus civiumque in diſcrimen veniet tutela, hinc habebitis qui conſilio, qui prudentia, omnibus denique fortunis rem publicam ſuſtinebunt. Quo tantis ſint pares, levioribus primum aſſueſcunt negotiis, in Theatro veluti in palæſtra ideo exercitati quo inſtructiores ad Senatorum aliquando ſubſellia accedant. Quoties in exteras gentes ducendæ acies, hinc aderint qui Alpium nives, qui impervia Hannibalis luſtrabunt itinera, quique imperii fines ad extremos uſque Garamantas propagarint. In ſolenni hac pompa Tu proximus Ormonde, Succedes, Tu locum in Theatro nunc obtines Heros, in quo olim feliciter verſabaris Poeta. Nullum Tu laborem, nullas vigilias, nnlla demum pericula recuſas, quo patriæ incolumitatem, Regni honorem, omnium denique ſalutem promoveas. Ex Tuis ſatis virtutibus perſpectum,

ctum, artium quid poteſt eruditio, Academiæ quid potuit diſciplina, neque dum tales animas gloriamur, aliquam vulgi reprehenſionem, aut iniquas potentiorum calumnias reformidamus. Tibi ergo inter hoſtes ſalutem, multos paſſim triumphos, felicem non ſolum ſed & glorioſum etiam reditum precamur; id vero maxime in votis habemus, ut quas tam feliciter olim ornaſti, eaſdem diu tuearis Athenas. Inter has Heroum laudes pergratum nobis eſt non deeſſe voluptates quarum lenociniis virgineos etiam animos attrahamus & à nimia forſan ſeveritate ad ſolitam rurſus hilaritatem traducamus. Quo oculos primum omnium, eoſque eruditos alliceret, nullis omnino ſumptibus pepercit Sheldonus: quo aures autem deliniantur in Muſicis tam feliciter elaboravit artifex ut non Prænestini interim judicium, neque Cariſſimi deſideremus elegantiam. Hiſce lenociniis gratis utcunque, meliores adhuc pollicemur luſus: erit qui Nympharum amores multo cum lepore multis non ſine facetiis percurret: qui multiplices fœminarum artes, neſcio quas inſidias, quicquid demum in tenebris peractum, reteget & exponet. Præcipue vero qui laborantium partus, & miro quodam fretus augurio connubia multo ante prædixerit. Siquis autem ſeriis intentus ſtudiis ludicra hæc rejicit, & pueriles tanquam ineptias exagitat, ſeveriores ei voluptates exhibent Comitia, quorum eruditione ſe oblectet; ad Philoſophorum inde exercitationes confugiat. Quicquid olim in Lyceo diſputatum in eo noſtrorum ſeſe acuent ingenia, neque deerint quantum auguror qui in tanta interpretum colluvione mentem Ariſtotelis verius non ſolum ſed & lucidius explicabunt. Quid in Medicina potuit Hippocrates, quid ſumma Galeni eruditio, Willifii etiam quam non ſpernendæ literæ, alii diſcutient: erunt qui varios ſanguinis meatus, tenues oſſium juncturas, & flexuoſas nequicquam venarum latebras aperient: qui morborum vim multo ante prænuntiabunt, & pene eadem cum militibus vehementia pro ſalute noſtra contendent. Contra legum alii dignitatem aſſerent quarum in explicatione nullam omnino luculentiam defuturam, admirabilis quidem Scævolæ pollicetur eruditio. Theologia vero quas habebit vires, quid incrementi accipiet, præcipue libet augurari. Quam præſto hic aderint qui ſacram veritatem ſeriis admodum momentis expendent, adverſariorum tenaciter ſubtilitates refellent, ſuaſque haud minus ſententias ſtabilient; quorum omnium, maxime autem Profeſſoris doctrinam, dum mecum

reputo, omnem ſubito de Eccleſia curam depono, novos Arrianorum tumultus non horreſco, Socini vero ineptias quam contemno!

Quo omnia hæc peragerentur, quæ peracta non tam Academiæ honorem quam Eccleſiæ promovent, digniſſimi Vice-Cancellarii diligentia proviſum eſt: cujus eximias virtutes, & quo communi bono inſerviat, induſtriam vix credibilem, mirari certe poſſumus, poſſe vero aſſequi, ne ſperare quidem audemus. Solus ergo, cum multi undique diſſuaderent, incaſſum alii obſecrarent, de propoſito nihil mutavit, neque dum omnium dignitati eo uſque proſpiceret, paucorum reprehenſionem aut invidiam extimuit. Quo enim animo tantis ſe negotiis, tam gravibus implicavit? eone ut divitias, quas contemnit, honorem, quo non caret, aut famam denique popularem qua nihil magis in faſtidio eſt, ſibi inde conſequeretur? Publicas autem curas qui magis oderunt paucos admodum novimus, & neminem fortaſſis, qui in privatis felicius occupatur Studiis. Quin ergo gratias tandem referamus huic noſtro Præſuli, qui hoc otium nobis tanta cum dignitate indulſit, & cujus meritis debetur quod tam erudite poſſumus & innocue lætari.

COMITIA.

PHæbe redi, quacunque lates fugitivus in ora,
Sive aliquam ſequeris deſerta per avia Daphnen,
Seu paſtoralis repetens geſtamina ſceptri
Theſſaliæ jam triſtis agas in finibus exul;
Te (quam longa tuæ paſſi diſpendia lucis)
Te Dominum Oxonidæ, quondam tua turba, repoſcunt:
Sunt & adhuc qui Te non in vulgata vocabunt
Carmina, ſunt Juvenes, qui, ſis modo dexter, Apollo,
Non ita degeneres opera interrupta capeſſent:
Quo tibi ſolennes inſtaurant ordine pompas
Cernis, & auguſti pandunt ſpatia ampla Theatri.
Scilicet hanc Cæſar Phœbæis fecit Alumnis
Lætitiam: Ipſe procul Moſæ bellator ad undas,
Tela inter media & diſtrictos cominus enſes
Intrepidum urget iter, nec, quanquam ſæpe Mariæ
Menti ſurgat imago, iras animoſque remittit,
Quin toto inſultantem ardens agit æquore Gallum.
At Nobis placidæ interea fœlicia pacis
Exercere dedit ſtudia, atque aperire receſſus
Caſtalios juſſit, ſacroſque recludere fontes:
Tuque adeo, Decus Aonidum, quo Præſide manes
Sheldoni exultant, & ſancti dia ſuperbit
Canities Felli, doctæ otia longa Juventæ
Excutis, & Muſas ultra non paſſus inertes,
Diſſuetos renovas, circo plaudente triumphos:
Qualis, cum nimiam Latio indulſere quietem
Relligio mitiſque Numæ ſapientia, lentæ
Virtutem excivit Patriæ, reſideſque movebat
Tullus in arma Viros. Opera omnibus arbiter æquus
Impendis diverſa; hic dulcia pollice lævi
Fila movet Flacci, aut Divinam Æneida tentat;
Ore ſonans grandi, Demonſthenis acrior alter
Arma quatit, dexſis alii Te, Occhame, latebris
Expediunt, multoque latentem pulvere Scotum:
Fervet opus, læti feriunt laquearia plauſus.
Quare agite, egregii pars & vos parva triumphi,
Queis calamos inflare leves Heliconia Virgo

Indulſit,

Indulſit, facilique poemata ludere vena.
H. *Noſti quæ feſta & quos reſtaurare triumphos*
Incipit? (G.) *Aut hoc aut aliquid ſimile huic mihi qondam*
Commemorabat Avus. (H.) *Certe hæc nil tale tulerunt*
Secula, vix tenuis famæ nos attigit aura.
G. *Hinc eſt, quod varium mirabar in oppida vulgus*
Confluere, Aonidumque domos turbare quietas:
Hac Cives (quibus alma ſalem natura negavit,
Et multum nebulæ per frontem fudit amictum)
Incedunt taciti, & mira gravitate verendi.
Ac juxta, taurorum uncique oblitus aratri,
Ruſticus exultat; paſſim convitia ſpargit
In ſocios; hilaris baculo, pede, voce jocatur.
Illic Cecropidas, Nomentanoſque nepotes
Veſtibus inſignes, nec non & torva tuentem
Thraſonem vidi, ille plicatam in terga retorſit
Cæſariem, tunicamque dedit diffundere ventis,
Et ſubtus lato fulgebat balteus auro.
H. *Credideram vero haud oculos retinere tuos qui*
Spectatum veniunt, ſed qui ſpectentur ut ipſi.
Vidiſti in ſcena Pygmæam ludere gentem,
Et ſaltare vagum per pulpita Pumilionem?
Vidiſti, populo qua lætos area lados
Exhibet, & gemino diſtendit ſtipite funem,
Quam facili corpus niſu ſaltator in auras
Tollat, quam juſto geſſus libramine firmet
Inſiliens, agiliſque trementia fila pererret?
G. *Parcius hæc.* (H.) *Te puparum pudet? haud pudet illum*
Qui ſeptem ſtudiis annos dedit, & cui longe
A cubito manica ad talos demiſſa pependit.
Hic Te, ſi memini, ſeniori cedere juſſit,
Summovitque loco, ſibi prima ſedilia poſcens.
G. *Hæc tecum ulterius mox excutienda, vocat jam*
Altera materies; & da **Tu, ſi grave non eſt,* *ad B.
Quæ tanta hoſpitibus Rhedicinam cauſa videndi?
Et quo procedant, quas narras, ordine pompæ?
B. *Organa, diverſo quæ multa foramine jungit*
Fiſtula, & aerios acceptat follibus Euros,
Audiſtis centum diſcrimina ludere vocum.
Inde canunt, habiles quibus in nova carmina vires
Diva dedit, numeris & qui valuere ſolutis.
Talibus auſpiciis Juvenes Encænia templi

Pierii

Pierii renovant, magni memores Sheldoni.
Ille (ſacras quanto verſans molimine curas!)
Has poſuit ſedes æternaque mœnia Muſis,
Et Te centenis admiſit, Phœbe, feneſtris:
Illi ſolennes primo ſolvamus honores
Craſtina lux vobis forſan gratiſſima, riſum
Cum moveat, crepitant cui circum compita ſocci,
Et male compactas pelles ſutura relaxat:
Aut qui Sidonio ſplendet venerabilis oſtro,
Dum ſudat ſub mole togæ, taloſque gravatos
Vix trahit, & toto reſonat gravis ocrea vico.
H. *Sed nullos ſtimulos, nullum, puto, geſtat acumen.*
Hunc credas forſan ſedes mutare quietas
Cornipidemque diu diſſuetum poſcere, terraſque
Explorare novas. (G.) *At credant iſta recentes,*
Non ego, namque illos didici ſecurum agere ævum,
Nec charis Rhedicinæ excedere mœnibus unquam,
Dum loca ſunt, quæ grata focis communibus *ardent,*
Spumea qua lætos ducit circum amphora gyros,
Et bene concuſſo crepat alea jacta fritillo.
B. *Mox veniet, magno vulgi qui murmure roſtra*
Conſcendet, cujus mordax agitabit acumen
Confeſtim Juvenem atque ſenem. Trepidate Puellæ
Deliciæ Cottarum, & bullatæ cura juventæ:
Tuque annis gravis & fracto jam corpore, cujus
Friget in effœtis conjux petulantior ulnis.
H. *Agnoſco quid ait,* terræ, *puto,* filius *hic eſt.*
G. *Et magis agnoſces, cum Teque tuamque Corinnam*
Attigerit, cæcoſque diu patefecerit ignes.
H. *Hunc circum longo dum ſeſe examine fundit*
Turba favens tremuloque quatit ſubſellia riſu
Hic forſan vili ſubtemine craſſus arator
Incumbens baculo, colloque in terga reclini,
Torvum hiat, indoctaſque ad pulpita porrigitaures;
Et quoties alii plaudunt, juvat hunc quoque riſu
Durum agitare latus, grandeſque intendere buccas.
G. *At cur ſimplicitas adeo tibi ruſtica ludo eſt?*
Quid facient cives? aurem ſubſtringet hianti,
Et gravis in turba luctabitur Aldermannus:
Illi ſufflatu pulmo prælargus anhelat,
Colla madent, liquidaque genæ pinguedine rorant,
Materieſque ſuis fit Lychniopola lucernis:

Demum importuno diducit labra cachinno,
Tum cum forte ſua de conjuge fabula cæpit.
Atque aliquem, credo, fallent perſæpe togatum.
Romano ſermone joci. (H.) *Verum ille ſodalem,*
Cui tenues melius finxerunt pectus Athenæ,
Obſervat, nerviſque alienis mobile lignum
Ducitur: hunc uſque intentis aſpectat ocellis,
Ac ſiquando videt patulum dimittere rictum,
Laxat & ipſe parata ſequacibus ora cachinnis.
G. *Abderitano quis me pulmone beabit,*
Quis mihi ferratos lateri circundabit orbes,
Craſtina ſi tantum præbent ſpectacula riſum?
O quam te impatiens quæ proxima volveris opto
Læta dies, longumque Mihi memoranda per ævum.
H. *Et memoranda quidem, cuicunque accumbere menſæ,*
Contigerit, cuicunque loco ſucceſſeris hoſpes.
Seu qua fumantes ex æquo meta laceſſit
In certamen equos, vel galli cæde rubentem
Tingit humum ſanguis, ſeu cum ridente colono
Effutire ſales mavis, ut turba jocantem,
Ut dominum miretur anus grandæva futurum,
Hinc ſalis æterni fontes, hinc nota ſupellex
Suggeret ingenium, & decies repetita placebit.
B. *Multus uterque fuiſtis in hoc; jam fronte ſevera*
Ecce movent duo pugnacis certamina linguæ,
Democriti ille ingens vacuum, & tenuiſſima rerum
Semina; particulaſque leves, globuloſque Renati;
Obſcuro hic quicquid Zabarella volumine condit,
Materiam formamque & inania nomina jactat.
Hos cito dimitti ſperabitis. (H.) *Imo ego lætus*
Hos etiam ſpecto, vultu dum multa minati;
Exertis digitis, exporrectiſque labellis
Neſcio quid ſpinoſum, atque implicitum Labyrintho
E nube & tenebris in lucem educere certant.
G. *Dumque ardent oculi, & pulmo acres ventilat æſtus.*
Surdus uterque ſono alterius diverberat aures,
Nec lateri parcunt, nec ſicco ex ore ſalivæ.
Et jam jamque magis fervent, atque omnia miſcent,
Arbiter è cathedra donec venerabilis alta
Increpet, & lites æquali examine libret,
Atque regat dictis animos, & temperet Iras.
B. *At ne vos teneat cæcis diſcordia nodis*

Per-

Perplexa, & vocum obductæ farragine nugæ.
Alter adeſt veſtras qui molli urbanior aures
Mulceat eloquio, & Nympharum enarret amores:
Virgineum ille chorum, pexuſque togaque recenti
Sublimi ſpectat de ſede, latuſque venuſtum
Huc illuc lente flectit, miſeriſque puellis
Dat vulnus lingua, obliquo dat vulnus ocello.
G. *Ille refert ſiquis laſcivæ uxorius ulnis*
Langueſcit ſponſæ, gremio quæ infuſa ſeniles
Nauſeat amplexus, inviſaque baſia libat.
Vel ſiqua incauto tacitis præcordia flammis
Accendit Juveni, ſterileſque inſpirat amores:
Mox male reſpondet curis, animumque morando
Torquet, & admiſſos aſtute ventilat ignes
H. *Pectoris O duri ſilices! O ferrea corda!*
Ille verecundos ſuffundere ſanguine vultus
Audebit, teneriſque procax dare vulnera nymphis?
G. *Crudelis Virgo magis an magis improbus ille?*
H. *Improbus ille* (G.) *Tamen, crudelis tu quoque virgo.*
Nec tu adeo immitis nimium miſerere Corinnæ.
Ipſa dolet merito, quæ tot fuit ante dolori.
H. *Sic poſt edomitum Buten Pagaſumque Chormimque*
Infelix jaculo cecidit ſtridente Camilla.
B. *Quotquot amæna colunt formoſæ rura puellæ*
Vel quarum doctæ veneres mirantur Athenæ,
Huc ſimul accurrunt (H.) *Hinc tu tibi ſelige nympham,*
Quæ tecum aut faſtus Galateæ & Dapnidis ignes
Dulce canat, vel, humum palla verrente, choreas
Inſtituat numeroſa, (G.) *Choreas ſemper amavi.*
B. *Vos tamen, auguſtas qua pandunt atria valvas,*
Et vaſtæ fumant patinæ, & geniale falernum,
Ante dapes ſumetis (H.) *Et has quoque ſemper amaſti*
B. *Ut memorare juvat quo pingues ordine menſæ*
Oſtentant epulas, quo nondum inſtructa tumultu
Una hoſpes civeſque ruunt in fercula; ſed vos
Non moror invitos; notum dat buccina ſignum
Arbor & in medias alte porrecta plateas
Jam judum picta pandit ſpectacula charta.

BIBLIOTHECÆ BODLEIANÆ AUCTARIUM.

O Pater, O noſtris multum celebrate Camænis
Bodlei, venturos celebrandum nomen in annos.
Huc lætus, (ſi quæ vacui mortalia Divi
Reſpiciunt, nec adhuc noſtri tibi cura receſſit)
Huc oculos defle&te; tuos imitata labores,
Diverſas peregrina plagas, longeque repoſtas
Luſtravit terras, diteſque Academia merces,
Auroræ gazas, Rhydicinæ vexit ad oram.
Immemorem matris mœrens Academia prolem,
Bodleï ſimiles ſibi fruſtra optavit alumnos.
Laudus erat, decus ille ingens; & amabile Phœbo
Seldeni nomen ſonuit Parnaſſia rupes.
At jam ferratos belli Diſcordia poſtes
Rupit, jam graditur medios horrenda per urbes
Et fremit, & quatit inſultans Bellona flagellum.
Nec quis honos Muſis, nec cuiquam florea Tempe,
Nec Pindi juga, nec Permeſſi flumina cordi.
Præſentes experta piis Academia Divos
Arma inter priſcas haud ſegnior excolit artes,
De modico cenſu, (qualem melioribus annis
Natorum pietas donavit grata parenti)
Provida ſeponit, quo jam mercatur Eoi
Theſauros muudi; quales non inclyta jactat
Illa domus Romana, Camænis ſacra, ſuperbas
Attollat licet indignans ad ſidera turres,
Et nunquam lapſura ſibi fundamina dicat.
Jam merces gaudet pubes generoſa tuendo
Externas, aciemque per omnes ſedula verſat.
Impigra jam terras alio ſub ſole jacentes
Viſa ſibi peragrare; hic tranat Nigridis alveum
Miraturque uſtos infeſto ſidere Crancri
Æthiopas; juvat ardentem penetrare paludes
Informes, qua Nilus hiulcis incubat arvis
Et nigro ſteriles limo fœcundat arenas.
Ille Aſiæ luſtrat vacuos cultoribus agros,
Quæ te, Terra ferax, premit inclementia cœli!
Eſt tibi pinguis humus, dulcique uligine læta,
Degeneras tamen ignavos ſortita colonos.

Nec

Nec requies: quin Medorum ditiſſima culta,
Arentes Arabum glebas, quos Perſia fœtus
Jactat opima, videt, nec jam peregrina Britannis,
Sol quamcunque oriens illuſtrat lampade, tellus.
Dicite Pierides, quæ ſolers cura latentes
Veſtigavit opes? O ſalve dia Pococki
Virtus! O duris rebus ſpectata! labores
O longos emenſa, nec unquam effœta ſenectus!
Muſarum te dulcis amor per inhoſpita rura
Impulit, & longe campos lateque vacantes
Tendere iter, juſſit, dubio te credere Ponto
Et rupes ſuperare aſpras, qua Caucaſus horrens
Attollit dorſum deforme, proculque minantur
Ardua præcipitem aſcenſuro ſaxa ruinam.
Non olim Samius tantum telluris obivit
Ille ſenex, licet extremos penetrarit ad Indos,
Nec ſpolia Aonias adeo ampla reduxit in oras.
Tu primus Judæorum deſerta pererras.
Paſcua, & agricolas ſibi rura optantia fortes.
Heu aliis regio non explorata colonis!
Qui triſtem narrant terram, glebamque malignam
Qua tribuli tantum, & ſteriles dominantur avenæ.
Tu monſtras qua durus ager ratione domandus
Et tandem agricolæ votis reſpondet avaris
Nec lætos adeo tellus fert altera fructus.
Die ſenex, quo nunc ſuperum domus hoſpite gaudet
Te canet, & meritos memorabit grata labores
Muſa tuos, Libanus dum frondens exit in auram,
Proceras geſtatque feraci in vertice cedros
Pergite Pierides, urget labor alter anhelas
Aonioque monet ſerto circundare frontem
Phœbo dilectam; non tu Barloe ſilendum
Parnaſſo nomen, pietaſve hos rara per annos.
Ipſe ſuas olim tibi Phœbus credidit arces.
Hic tua per totos acies infixa morari
Soles, nec ſeræ meminiſti cedere nocti.
At te tranquillum traducere leniter ævum
Nota vetat virtus; ſacratos infula crines
Ambit, & incedis claro venerandus in oſtro.
Te tamen interea charæ nutricis alumnum
Te memorem pia cura, ſacros ornare Penates
Suadet, Muſarumque novum decus addere ſedi.

Ergo acri accingens ſe mens haud tarda labori
Palladias exquirit opes, gratiſſima Matri
Munera, quæ longum nati teſtentur amorem.
Tandem ſe tollit privatos ardua moles
Indignata lares, & lauta offertur, amatæ
Oxonio, quamcunque optaret avara, ſupellex.
Non adeo Clarus, ſecum deduxit Athenis
Qui Muſas Phariam Demetrius exul in oram
Nec jam, (ſi noſtrum ſors ſtare dediſſet in ævum)
Bodleiana domus Ptolemæi cederet arci.
Hæc olim ----- Veniet tandem (ni falſa fefellit
Me Phœbi cortina) dies celebranda Camænis,
Cum Cæſar, ſtrinxit domitos ubi compede Gallos
Et feſſis jucunda dedit bonus otia terris
Arma Patri Victor ſuſpendet vota Quirino.
Tum demum Rhydicinæ arces, dilecta Minervæ
Mænia reſpicies Rex magne, juvabit amænas
Aonidum curis vacuum te errare per umbras.
Tum demum florere jubebis Palladis artes.
Ipſe etiam dona authorem teſtantia Regem
Pieridum templis affiges; carmine grato
Muſa redonabit te noſtra, tuoſque docebit
Aonium late montem reſonare triumphos.
Sic olim, cum civiles ſedaverat iras
Subdideratque jugo Nilum, ſpoliiſque ſuperbus
Indorum, rediit patrias Auguſtus in oras.
Frondentis ramo crines redimitus olivæ
Alta Palatino ſacravit mænia Phœbo,
Æternaſque Camœnis aras: lætus Apollo
Aonidas juſſit venturos ferre per annos
Auguſti nomen, docuit memorare ferocis
Edomitos animos Bruti juvenilibus armis,
Addidit Actia bella, datoſque in vincla Sicambros,
Et Jani tandem clauſas illo auſpice portas.

PRÆLIUM

PRÆLIUM NAVALE.

O Qui indignatus ſævum, Gulielme, tyrannum
Fregiſti Lodoici iras, animumque ſuperbum
Imperium mundi meditantem: O Inclyte, belli
Artibus horrendis aſſuete, aſſuete triumphis,
Pone animos tandem, & munus, non Aſper, egenum
Accipe, quod ducunt placidæ, pia turba, Camenæ.
Te duce jamdudum impoſitas Europa catenas
Detrectare auſa eſt: O Quæ prima omina belli
Ipſe olim dederas! O Qualem Boynia vidit
(Boynia ab Angliacis toties celebrata Camenis)
Armis exultantem, atque inter prima frementem!
Dum laceros artus, atque ære rigentia membra,
Fumantemque cruore lacum, ſpumamque rubentem
Mirantur piſces; & mixtus fluctuat humor
Quin humeros violatum, & concuſſum impete glandis
Fulmineæ, virtus (heu magnæ prodiga vitæ)
Cautior impellat; vicini ſibila plumbi
Fatorumque memento minas, compeſce furores
Immodicos, animoque aſſurgant parcius Iræ:
Cætera jam permitte tuis, Gulielme, Britannis,
Exemplo rediviva tuo tandem Anglica pubes
Torpeſcens requie, & dudum deſueta Trophæis,
Victrices captat laurus, Martemque fatigat
Inſolitum, atque iterum incendit præcordia virtus.
Jam vetus Anglorum robur, Geniumque priorem
Æquora teſtantur, Gallorum infecta cruore,
Quaſſataque rates, & adhuc fluitantia membra.
En! cerno ut belli horrendus ſeſe explicat ordo:
Longa ratum ſeries utrinque excurrit in æquor,
Fœta viris, ſubterlabenti plurima Quercus
Incumbit late pelago, ingenteſque carinæ,
Sylvarum ſpolia: exploſo Tormenta metallo
Continuo furere, & gravidæ concurrere turres,
Ventorum labor: & tota æquora fervere bello.
Una ſuper reliquis Gallorum puppibus ingens
Eminet, ipſa nemus; ſubjectos pondere fluctus
Opprimit ignoto, veliſque tumentibus, omnem.
Includit Boream, & centeno fulminat ore.

Hanc petit uncta pice, & fœcunda bitumine puppis,
Cui flagrans onus, & flammarum dira ſupellex
Ventre latent, nigriſque furit tota Ætna cavernis;
Fruſtra inſtant Galli, & longè detrudere certant
Hærentem lateri peſtem, circum ignea ſævit
Tempeſtas, ſpargitque incendia, & evomit atrox
Undantes fumos, & olentem Sulphura nubem;
Mox totam involvit claſſem, torretque ululantem
Turbam, & fumantes miſere depaſcitur artus.
Sic flammæ irrodunt, & inextricabilis ardor
Multa recuſantem & convicia dira vomentem
Enceladum; fruſtra impoſito ſub monte reſurgit
Obluctans, toſtoſque humeros, ſemiuſtaque membra
Erigit indignatus, & ingens vincula quaßat.
Jam maria effractis late confuſa ruinis,
Truncatoſque artus, & vaſto turbine plumbi
Nutantem videas claßem; freta lucida flammis
Ardeſcunt, ſtridentque immerſis ignibus undæ:
Sed Galli glomerare fugam, ſed ſpumea latè
Æquora ſubverti, crebriſque albeſcere ſulcis.
Jam, pelagus quacunque udis amplexibus orbem
Circuit, & ſalſos producunt æquora tractus,
Neptunus tibi pandit iter, tibi ſerviet omnis
Æolus, & domino tibi ſubjicit Amphitrite
Imperium maris inſtabile, atque natantia regna.
Mox quoque tota tuis cedet, Gulielme, triumphis
Gallia, qua multo paſſim fœcunda Lyæo,
Nobilior gravidas vindemia turget in uvas,
Purpureaſque coquit Solis vicinia meſſes.
Ad Bellum Lodoix minus ardet, numina Pacem
Exorat timidus; jam vota capacia mundi
Demiſere ſitim, dum Luxenvorgius iras
Anglorum tremit, & munimina vaſta, minaſque
Armorum objiciens, petit interfuſa fluenta,
Foſſarumque moras, & inexſuperabile vallum.

URINATOR.

FRgo omnes tentare plagas, atque ultima rerum
Conceſſit nobis natura; artique potenti
Victa dedit longæva manus. Vix dum illa, ſagacem
Progeniem admirans, humeris aptaverat alas,
Per nubes molita viam; cum Dœdala proles
Artibus uſque novis, & Pallade fœta recenti,
Diverſum affectavit iter: cæloque relicto,
Oceani reſerare domos, & inhoſpita regna
Arſit adire animis; ævumque agitare ſub undis.
At primos ſectari ortus, totamque per artem
Ire lubet. Libycæ gentes vidiſſe feruntur
Infantem in cunis. Mox aucta Eoa petivit
Indorum freta, qua Ganges flaventia ſolvit
Oſtia, & Oceano gemmantem injectat arenam.
Hinc tandem digreſſa (ut lento incedere paſſu
Res magnæ aſſueſcunt) noſtras ſero attigit oras.
Interea Oceanus, tot jam labentibus annis,
Hiſpanas celarat opes; & avarior Orco
Neptunus regni ſpes uno immerſerat hauſtu.
Phipſus adeſt: pelagi quos longo incoxerat uſu
Præda frequens, juvenes ſpoliorum incendit amore.
Protinus, ut molli nudatos corpora Tethys
Accepit gremio, & totos jam condidit alto,
Officio certant, (gelidis ardeſcit in undis
Tantus amor noſtri) & damnent, modo verba ſequantur,
Ingratam, delphines, opem: pars cætera gentis
Squamoſæ fugit, atque inopino exterrita viſu
Radit iter liquidum, & celeres tranſverberat undas.
Ite animæ viles: plebs ite ingloria ponti:
Majori fraudem innectunt hæc retia piſci.
Poſtquam altum emenſi pelagus, dextro Hercule, prædam
Contigerant læti; per aquas adverſa refulſit
Aura aſſurgentis maſſæ: nec gratior unquam
Naſcenti Phœbus perſtrinxit lumine pontum.
At ſummis tandem ut charum caput extulit undis
Quiſque ſuum, ſublime rotans alterna coruſcat
Brachia, conſurgenſque ardenti fulgurat auro.
Nec mora: deponunt onera, atque hinc inde remiſſi
Tranant humida regna: ac omnem fervere pontum
Aſpiceres, rutilo diteſcunt marmora tractu.
Quo neque ſolares languenti cuſpidis ictu
Pertingunt radii, circùm & nigrantibus undis;
Auri fulva dies animos accendit avaros.

At ſi quem exhauſtæ, ſuperas dum ſurgit ad auras,
Deficiunt vires; illi ingens præda relapſa,
Et tenues labor effuſus vaneſcit in undas.
Non ſecus Eurydice, quondam dulciſſima conjux,
Per nigram Styga, Cocytique inamæna fluenta
Tranſvecta, & primæ tantum non reddita luci,
Amplexum nequicquam auras, & multa querentem
Orphea deſeruit; noctemque amiſſa reviſit.
Nunc age, nunc, Dea perge libens: famamque recentem
Exequere, & quæ ſit fortuna noviſſima rebus.
Scilicet à tergo dudum iſta exempla reliquit
Ulterius progreſſa ætas; ignobilis auri
Sordet honos. Rerum juvat uſque inviſere fines
Extremos, imiſque errare licentius undis.
Machina ſubſidio eſt, hyalo conflata; deorſum
In latum creſcit, demiſſumque ampliat orbem,
Campanæ in morem. Vel qualem caſſida in hortis
Spirantes violæ, ſeu purpureus Narciſſus
Induit, & vitro jam ſe miratur in illo.
Intus ſumma tenet cœlum, & puri ætheris haustus
Incluſi. Sed nulli audent aſſurgere fluctus;
Nec Jovis aſpirat regno Neptunus avito.
Sive oblata fores aperire, & caſtra relinqui
Præda jubet; ſeu mox redeat novus incola ponti,
Ut vitrea res ingentes deliberet aula;
Aere tectus agit, ſiccuſque perambulat udum.
Salve grande decus, rerumque Haulæe, repertor:
Salve ingens nomen. Creſcant tibi flatibus utres
Æolii; ſemperque adſit ſpirabile numen.
Fulmineoque deo regni commercia pande
Æquorei, & Divos ſociet concordia fratres.
Tu potes omne: ruis latebris tu Protea cæcis:
Tu cœloque marique vias cœlique mariſque
Sorte pari fatorum aperis, tam illæſus in alto,
Quam tua Lethæis fama immerſabilis undis.
O cœli pelagique potens! Quos impiger orbes
Detegis? O qualem jactat Rhedycina Columbum!
Jamque ſalum ingreſſi barathrum nigrumque profundumq;
Extemplo tenuere. Aures & tempora circum
Unda fremit, tentans aditus, ſi viribus ullis
Excutiat latebris animam, atque effundat in æquor.
Nequicquam. Galea, ac fida teſtudine tecti
Incedunt. Dextra lævaque per uda viarum

Naſcuntur

Naſcuntur gemmæ; &, pelagi pretioſa ſupellex,
Coralia: at nondum tunicas induta rigentes,
Nondum ſylva virens inimica induruit aura.
Dii quibus imperium Oceani, Nymphæque ſorores;
Sit mihi fas arcana ſequi, ſit gurgitis alti
Theſauros aperire, atque ima cubilia Nerei.
Subter, in immenſum præceps, ubi nulla quietum
Cynthia ſollicitat pelagus; nec flamine turbant
Æoliæve hyemes, tempeſtateſve ſonoræ;
Nereidum domus ampla patet. Laquearia ſumma
Cryſtallus, variæque alternant murice conchæ:
Quas inter nativus honos, & plurima gemma
Sparſa nitet; cœlumque ſuum ſua ſidera norunt.
Neptunus pater hic ſolio ſublimis in alto
Fluviorum manibus premit, & moderatur habenas.
Ante fores ſtabulant hinc inde immania cete:
Avulſam Ortygiam credas, & Cycladas alto
Submerſas; lorica ingens & ſquameus imbrex
Dorſa tegit. Fallax vicino in limine Proteus
Conſidens, (noſtris heu non incognita terris
Bellua) & informes poſuere cubilia phocæ.
Nec procul hinc denſis horrens haſtilibus hiſtrix
Arma movet: Sylvamque ſonantem interluit æquor.
Huc ubi delapſos fundo Neptunus in imo
Senſit, grandævum foribus caput exerit altis:
Vindictæque igneſcit amor. Dehinc talia fatur.
Quæ vos tanta cupido? Aut quæ faſtidia cœli
Ad noſtras egere domos? Dum ſcilicet ora
Humectat, lachrymiſque auget ſtillantibus undas
Neptunus, ſpoliis jamdudum exutus opimis.
Nequicquam ergo mihi ſævi ſors illa tridentis
Contigit. Heu! Nequicquam? At non impune deorum
Sidereæ patuere aulæ, & cœleſtia templa;
Icarios teſtor fluctus: ac nigra coercent
Tartara Pirithoum, nec fruſtra illuſit Averno.
Hic etiam ſunt fata, & inexorabile Numen.
Dixerat hæc pater. Aſt illis penetrabile frigus
Membra rapit; Nervoſque, animæq; aſtringit habenas.
Nec melior fortuna intra cava mœnia vitri.
Illic ſpes fractæ: emerituſque elanguit æther.
Vix demum egreſſos flabris vitalibus auræ
Accipiunt reduces, cœloque animiſque refectos.

Linguæ Avitæ Septentrionales poſtliminio recuperatæ.

QUiſquis (Judices) ſive immoderata ingenii opinione, ſive temerario animi impetu, me ad hanc defenſionem præcipitatum exiſtimat, & me, & Linguas Veteres graviſſima contumelia laceſſit. Mei patrocinii cauſas habeo tum graviores, tum honeſtiores, quam ut cujuſquam reprehenſionem mereantur. Qui Linguis Veteribus iraſci ſolent, & vehementius ſuccenſere, gratitudinis ſenſum, tanquam rem pulcherrimam venerantur. Hac ego gratitudine memet contra crimen temeritatis defendo. Cujus enim non moveat ſtomachum, χειμήλια Regis glorioſiſſimi doctiſſimique, (à quo ut privati noſtri parietes, ita univerſa Academia ſuam traxit originem) à blattis tineiſque devorari? De Alfredo noſtro loquor, quod intelligitis omnes; de eo homine, cujus liberalitate honeſtum hoc otium ſuſtineo; adeoque peculiari quadam caritate illius monumenta complector. Ego equidem res quaſcunque patrum noſtrorum, cultu religioneque tueri, ita ſemper interpretor, quaſi pietatis indicium, & ingenii liberalis teſtimonium. Quam certe perſuaſionem ab ipſa natura parentibuſque hauſimus, ſiquidem communi voce, paternarum reliquiarum contemptum improbitatis ignominia notamus. An igitur plurima nullius pretii aut momenti propter ſolam vetuſtatem venerabimur, Linguas autem in ſe utiliſſimas pulcherrimaſque propter vetuſtatem rejiciemus? In reliqua majeſtatem quandam & auctoritatem transfundit antiquitas; miſeræ ergo & infelices Linguæ, quæ non ſolum antiquitate non commendantur, ſed etiam ab ea nativis ſuis viribus & dignitate ſpoliantur. Hujuſmodi ſtudio partium provehuntur, qui delicati nimirum & inſolentes, ſublimi de ſe opinione præconcepta, optimorum Virorum exiſtimationem opprimunt. Hi ſunt qui indulgent ſibi cogitandi veniam, non fuiſſe Patres eodem, quo ipſi, judicio inſtructos, non fuiſſe eodem armatos acumine, vix denique eodem communi ſpiritu agitatos. Iſtud hominum genus liberius inſectarer, niſi ipſo veterum monumentorum contemptu ſatis eos jacturæ facere exiſtimarem, adeoque de ſe ſupplicium ſumerent graviſſimum. Hanc illis pœnam conſtituo; ſui cerebri commenta foveant, importunæ ſuæ ambitioni

bitioni indulgeant; & à ſcriptis Patrum præclariſſimis mentem ſuam manuſque abſtineant. Utinam interim melius intelligerent, ut Linguas Veteres tantopere ſpernendo, tantiſque convitiis proſequendo, & Eccleſiæ & Reipublicæ interitum minitentur. Dicant illi, ubi eſſent religionis nervi, ubi color ipſe facieſque, niſi Divini Numinis voluntas, hominum graviſſimorum diligentiâ,ex antiquis monumentis erueretur. Oſtendant etiam, qualis Legum latio, qualis pœnarum conſtitutio, qualis totius Reipublicæ adminiſtratio, niſi ex rebus Majorum geſtis exempla peterentur. Hic autem ad Alfredum magnum libentiſſime provoco, cujus nomen noſtrum cum ſit, majeſtatis etiam dignitatiſque plenum, incredibili quadam cum voluptate uſurpo. Libere profiteor me illa in hoc Principe deprehendere, talia, & tam illuſtria, ut ea pauci imitentur, æmulentur omnes. Quantam illi prudentiam, quantam fortitudinem, quantam eruditionem communi tribuunt conſenſu ſuæ ætatis monumenta! Ut mihi quidem in hoc uno pectore vobiſcum videar perſpicere imaginem Cæſarum, Pompeiorum, Catonum, omnium quorum res præclare geſtas gloriæ immortalitate proſequimur. Vos igitur judicate quam digni ſunt odio & animadverſione, qui harum rerum indices Scriptores non ſolum ipſi non tangunt, ſed tanquam eſſent literarum peſtes, flammis committendos exiſtimant. Molliores ſunt illæ manus, quam ut membranas ſquallore & ſordibus obductas contrectare audeant; teneriores mentes, quam ut Literæ Saxonicæ, Gothicæ, Runicæ horridiorem conſpectum ſuſtinere poſſint. Ita fit, ut inſana corporis cura animi vires frangantur, dum optimarum rerum ſtudia vitamus, ne effœminata cutis detrimentum accipiat. Quo autem hi ſunt dedecore & infamia digniores, eo majorem gloriam merentur, qui expugnatis difficultatibus, illa è Linguis Veteribus deprompſerunt, quorum emolumentum omnis poſteritas percipiet. Te primum, Franciſce Juni, religioſiſſime colimus, tuum ingenium ſuſpicimus, tuam induſtriam admiramur, tibi gratias agimus quam maximas, quod iſtâ laboris pertinaciâ noſtræ Inſtitutioni præclare conſuluiſti. De Marſhallo autem; quis eum credat, ſummæ probitatis virum, qui omnes ſuas cogitationes ad humani generis utilitatem convertit, totam ætatem in re jejuna, & inani conſumpſiſſe? Ad te tandem confugio, beatiſſime Felli, tui recordatio omnium noſtrum memoriam agitat, tui mentio leviſſima divinam nobis Imaginem

repræſentat. Quis autem neſcit in hac tuæ gloriæ amplitudine, lumen tibi præcipuum Linguarum patrocinium inſeruiſſe? Tuis ſumptibus, tua diligentia in immenſum illud corpus excrevit Lexicon Septentrionale: Tu labentes Marſhalli ſpiritus excitaſti, Tu idem animum Junii languentem ſuſtentaſti. Hinc ea tibi præclara contigerunt, ut nemo unquam honoratius viveret, nemo magis deſideratus obiret, nullius mors poſſet Eccleſiam graviore vulnere affligere. Hi ſunt, Auditores, qui ſuæ gloriæ hæreditatem noſtræ Academiæ reliquerunt. Vobis ſuam exiſtimationem, ſuas lucubrationes, res denique omnes commendant; obſecrantque, ne quicquam ſuorum patiamini ſive manibus imperitis, ſive linguis malevolis contaminari. Dum autem eorum rationes tuemini, veſtræ etiam ſaluti proſpicite; Vobis, inquam, cavete, ne exhauſti ærarii Judicium aliquando ſubeatis. Vos eſtis, qui in Codices vetuſtos vim nuper pecuniarum infinitam erogaſtis. Quod ſi ſua non conſtet Linguis Veteribus gloria, non tam videmini pecunias expendiſſe, quam effudiſſe; non tam theſaurum comparaſſe, quam nugas & rubiginem congeſſiſſe; non tam denique auguſtiſſimam Bibliothecam ampliaſſe, quam eam ſordibus & pulvere ſuffarcinaſſe.

--- Non Ego paucis
Offendor maculis ----

CUM ſatis ſciam quam ingenti vitiorum turba laboret hæc Oratio, quam pene nihil ſit quod reprehendere non poſſint eruditi Auditores, tam arroganti animo non ſum, ut in aliorum vitia inquiram malevolus, meis tamen facile ignoſcendum eſſe exiſtimem; nec iniquus adeo alienorum meorumve ſcriptorum judex, ut in his pluribus vix offendar maculis, in illis ne dum paucis veniam daturus. Quam mihi peto, lubens aliis permitto libertatem; & ut illorum opera ad normam ſeverus nunquam exigo, ita ſciam fortaſſe in meis quæ emendari nolo: etenim, quia dira neceſſitate nonnullæ innaſcuntur maculæ, ita à natura comparatum eſt ut ipſa interdum veneres habeat deformitas. At Nos invaſit inſueta aurium animique mollities, & naturæ vitio nimis in rebus delicati ſumus; quin uti ſtomachus, ita æger eſt animus ubi parva nauſeam creant; neque ego minus velim in carmine quam in muſica præacuto vexari judicio. Quoties videre eſt harmoniæ peritum, contracta fronte, iratis oculis, toto homine commoveri, quod artem recte non calluerit cantator? cum ignarus interim auditor ſuavitate vocis captus, prorſus voluptate delibutus adſtiterit: pari certe infortunio nimis ſciunt, qui in ſcriptis culpas quærunt, & Poetæ iraſcuntur quod Scenam paululum immutaverit, aut diei acta uni horæ incluſerit. Contrahat per me licet tragœdus tempora, locum mutet, Deos inferat, modo cum voluptate audientem detineat; concedo illi diem, menſem, annum etiam ſi res poſtulabit, neque me anget quod tam longi temporis eventus brevi horæ ſpatio pulchre aſpiciendos obtulerit, parum interim ſollicitum utrum Furi debeatur fabula an Poetæ. Et tamen hinc omnes oriuntur in Poetas lites, hæc ſunt quæ vitio vertunt homines acuti. Quod ſi, apud eos qui ab omni poeſeos genere abhorrent, tanta eſſet ad maledicendum licentia, neque ullus ſtatueretur contumeliis pudor aut modus, quotuſquiſque eſt ordinis Veſtri præclariſſimi qui calumnias effugerit? Quis nitidus adeo & elegans cujus oſtrum nulla contaminarit labes? aut quis denique tam egregii corporis ut aliqua ſaltem in parte nævus non deprehendatur? Certe Te Poetarum principem fruſtra ſalutamus Mæonida,

ſi audaci Zoilo impune licebit impoſitas Tibi lauros detrahere, aut quoties longo in opere ſomnus obrepſerit dormitanti illudere: quanquam non ſunt indigna heroum jurgia, nec bellatrices Deorum catervas inſtruis, niſi Deo vindice dignus inciderit nodus: & Tu Dearum pulcherrima inter arma pulchrior incedis, & novas veneres ſpiras ſauciata. Quin Te, Horati, quis melior nunc tuebitur Mæcenas? neque enim convitiis expediet verborum varia venuſtas, nec laborata numerorum aſperitas: Nequicquam impares Lucilii numeros irrides facetus, dum Tuos reponis inæquales; nequicquam morum ſeveritatem inſectaris jocoſus, idem in Satyra acri nimis ingenio & inurbano: fruſtra ſcribentibus leges imponis præceptor, eaſdem mox violaturus Poeta. Quis denique molles Ovidii amores, aut Catulli diſcinctas Veneres valeat defendere? aut qua arte ſuas ornabit Terentius populo ut placeant quas facit fabulas? ſi lectores non detineant ſermonis nativa puritas, & docta ingenii vis. Verum enimvero ne cum levibus doctorum maculis veniam conceſſero, graviora indoctorum vitia perpeti videar, fateri fas eſt ut aures læſerint vel meas hujuſce ſæculi Poetæ; quorum quidem prodeſſe quam minime poſſunt poemata, multo minus delectare: qui, cum naſcerentur interpretes, Diis invitis fiunt Poetæ, neque fidem interpretum ſervant, ſed ex veterum bonis fabulas faciunt non bonas, id eſt ſuas. Non ſum uſque adeo vitiorum patiens ut bilem mihi non moverit Belgicus orator, ne dicam vates, ſemel peccans; neque adeo à legibus alienus ut cothurnos Comicis demandari patiar, aut humili ſocco ingredientem Tragicum laudibus accipiam: quanquam ea jam ſunt Poetarum ingenia ut riſum excutiat tragœdus, totiſque Theatris mœſtitiam inferat flebilis Comœdia: ea jam procuduntur poemata, quorum vitia carebunt venia, quia numero carent.

---- Ego paucis
Offendor maculis ----

OPtaverim vobis, Academici, eos Scriptores, qui ut veſtræ ſatisfaciant expectationi, ſuo labori non parcant; quos non tædeat, ea quæ ſcripſerunt ad incudem revocare; nec, ſi quæ forte acutiora expreſſerint, frigida etiam effutire ſibi licere exiſtiment; nec ob egregiam, quæ in ſcriptis elucet, indolem, veniam fore & incuriæ. Quo magis eximium eſt Scriptoris ingenium, eo vehementius requirimus induſtriam; tenuitati facile multi ignoſcent, qui ignaviæ patrocinium ægre ſuſcepturi ſunt. Inter alia pulchra unum aliquod inconcinnum, eo inſignius, quod reliquis haud eſt congruum: neque enim obumbrantur à virtutibus, ſed clariora fiunt vitia; uti in venuſto corpore, conſpectior ob pulchritudinem eſt aliqua deformitas. Dicunt ſuas & Mæonidæ fuiſſe ineptias; nec defuit, qui eas exagitaret, Zoilus; & vix quidem credimus, ab eodem fuiſſe depictam, pugnantis Æacidæ imaginem, & ob ereptam ſibi puellam flentis. Neque veram famam alicui detractam, neque falſam affictam eſſe patiemur; quicquid in ſcriptis politum eſt, quicquid perfectum, ultro laudamus, nec eo ſecius, ſi quid rude, ſi quid inane ſit, arguimus; neque enim Solis ſplendor, officit Aſtronomis, quo minus in eo deprehendant maculas. Quo celebrior eſt Scriptor, eo ſeveriore judicio expendendus; apud plures hujus valitura eſt authoritas; & cavendum eſt, ne imperiti, ea, quæ vel maxime ſunt fugienda imitentur. Haud ergo illi audiant malevoli, qui unicuique quod ſuum eſt tribuunt, qui laudant integros, mendoſos culpant, & majorum improbando inſcitiam, poſterorum acuunt induſtriam. Ne putent rerum Scriptores, ubi polliciti ſunt Hiſtoriam, acceptas lectori fore fabulas, nec, quod conſtet eos, rei, de qua ſcripturi ſunt, eſſe ignaros, ſibi licere eſſe mendaces. Ne pudeat Poetas eſſe ſanos; nec fingendam ſibi potius, quam imitandam naturam proponant; nec ſi quid inſulſum effuderint, id à Poetica licentia ſibi indultum contendant. Aut denique Scriptores, ne quæ mendæ ſint in libris, caveant, aut, eas ſibi tribui, ne graventur; nec, ſi quod fœdum in ſcriptis ſit erratum, id Typographi aſſignent incuriæ. Intelligant tandem, ſi doctis ſe probatos velint, ſibi accuratius eſſe ſcri-

bendum, non omne quod garriunt, posteris esse transmittendum; quandam, in feraciſſimis ingeniis, esse luxuriem, stylo amputandam, uti in uberrimo solo, non modo fruges nasci, sed etiam herbas frugibus inimicas. Ne saltem eos habeant inhumanos, qui expectationem, quam de illis conceperant, ægre ferunt eluſam; ne indignentur, si illorum animadversa sint peccata, ipsum enim accepimus Demosthenem, ob insolentiora quædam verba ab Atticis fuisse reprehensum. Sunt autem, qui cum veniam petere, deberent, quod inconditum aliquid in lucem protulerint, expectant laudem, quod multum scripserint; & in eo elaborant, uti, ii, quos edunt, fœtus, satis grandes exiſtant, parum licet maturi: hi nihil operi deterendum censent, ne exilius sit volumen; alioſque desideraturos credunt, non tam Architecti ingenium, quam molem ædificii. Illius certe nos miseret induſtriæ, Scriptori pariter moleſtæ, & Lectori odioſæ; non magnitudo, sed elegantia operis commendat artificem; & periti judices Phidiæ Minervam longe pluris æſtimabunt, quam Rhodi Coloſſum. Hoc sentiit Maro, qui libros, quos non expoliviſſet, aboleri juſſit; & cogitent demum noſtri Poetæ, quid de suis chartis exiſtimaturi sint, quando ille Æneida cremandam judicavit. Cogitent demum Scriptores, è Veteribus iis, qui ad nos pervenerunt, quam pauci sint, quos probant docti; & si forsan quoſdam, qui amiſſi sunt, optent superſtites, plures esse, quos, si interiiſſent, nequaquam desiderarent: ex iis intelligant, si sua opera posteris velint accepta, quanto cum labore ea sunt polienda; si lectores sibi sperent benevolos, ipsos oportere, in se esse perquam severos.

BRITANNIA.

DUM Moſa torpet ſanguine Gallico,
Humique fumant oppida diruta;
Dum decolori Rhenus unda
Scuta virum galeaſque volvit:

Quid nos loquacem tendere barbitum?
Et bella menſis pingere ludicra?
Quid inter armorum tumultus
Pacificam renovare pompam?

En! tuta vaſtis claſſibus Albion
Circumfluenti cingitur æquore;
Regnatque victrix inter undas,
Et liquido dominatur orbi:

Spargens frequentem lata per æquora
Claſſis ruinam, præſidium ſuis
Affert Britannis, navigatque
Attonito metuenda ponto:

Teſtor perempti ſanguine navitæ
Undas rubentes, & laceras trabes:
Teſtor Britannum Gallicanis
Oceanum ſpoliis onuſtum.

En! picta velis æquora conſpicor:
En! ſævientes in fera prælia
Ruunt carinæ, mutuaque
Exitium meditantur ira:

En! mugienti fulmina machina
Exire, certi nuntia funeris;
Igneſque & undæ diſſonantes
Perniciem dubiam minari.

Jam diſſipatos impiger ordines
Carterus urget, non timidus mori;
Fugatque claſſem, multa luſo
Pollicitam meliora Regi:

Fruſtra. Imminentem non prohibet necem
Aptata laurus jam capiti Ducis;
Quin victor effundit cruorem
Et mediis moritur triumphis:

Gens Angla ſemper pube potens ſua
Heroas almis jactat adoreis
Ubique claros, & paratos
Oppoſitas cohibere gentes:

Nec, ſi repoſcat Parca malignior
Unum, potentes deficient viri,
Virtute qui inſtaurent hiantem
Et reparent ſimili ruinam.

Suis remoti finibus Albion
Frænare Martis noverit impetum;
Potenſque duplas, ſive pacis
Sive gravis per acuta belli

Miſcere laudes, arma vel obviis
Opponit armis, vel celer ingeni
Intentat artes, bellicaſque
Alma regit ſine Marte gentes:

Sed nec Camænis deficit indoles
Apta excolendis, nec gravis obruit
Bellator artes: utriuſque
Fervet opus proprium Minervæ:

Superba claris Anglia vatibus,
Inſigniores queis neque Græcia
Nec Roma jactat, neve cedit
Ingenuis Rhedycina Athenis,

Quam mite cœlum, quam Genius loci
Fecere Muſis aptam habitantibus:
O ſola cunctas præter urbes,
Chara Tuo, Rhedycina, Phœbo!

Phœbus novenis grande ſororibus
Decus, tuetur præſidio ſuam
Turbam poetarum, quibuſque
Præſidet, ipſe colit Camænas.

Gens Angla tali prole ſuperbiat,
Et Diva lætis plauſibus infremat;

Secura

Secura deſpectetque belli
Et pelagi pariter ruinas:

Hæc ingruentes undique conſpicit
Martis procellas, bellaque non ſua
Audit, tumultuſque; & Camænis
Innocuis vacat inter arma:

Sic orbe quondam fluctibus obruto,
Pindi repoſtus Deucalion jugo
Spectabat undas, fluctuantis
Deucalion reparator orbis.

O qui Britannos fluctibus eripis,
Et fata firmas pendula; qui tuo
Tutos reponis nos periclo,
Atque paras requiem labore:

I nunc phalanges prorue Gallicas,
Et tinge fuſo lilia ſanguine;
Ornetque devinctus catenis
Egregium Lodoix triumphum.

ORMONDUS MILITANS.

CUr, Dea, Parnaſſi tritis in collibus hæres,
Et noto repetis vatum veſtigia clivo?
Me neque quæ vacuo ceßerunt æquore claßes,
Cùm ſonuere ignes, & non imitabile fulmen
Wilhelmi, domitæ neque bella morantur Jernæ;
Omnia jam vulgata: feroces nemo Britannos
Neſcit, & ignavos caſtrorum limite Gallos.
Quis tamen ille acrem qui prima ante agmina fidens
Urget equum? pulchro oſtentat ſe purpura nodo
A latere, & gemma pectus ſtellante coruſcat:
Effuſas utinam premeret violentus habenas,
Cautius & ſævo juvenis ſe crederet hoſti.
Agnoſco forma inſignem, & fulgentibus armis
Ormondum; quam non Ormondi gloria dio
Inſpirat Muſam genio, ſtimulatque canentem
Laude nova? juvat intactas decerpere laurus,
Egregiumque parare mihi de fronde recenti,
Et quo nemo prius velavit tempora, ſertum.
Sic ubi pollutos aliis ſufflatibus agros
Feſſa apis, impuraſque ſupervolitaverit herbas,
Sub tenera ſi florem aſpexit ſepe nitentem
Ignotum pecori, quem nondum turpis arator
Vel pede turbavit, vel ruſtica pollice Phyllis;
Hic puros libat ſuccos, hic uſque moratur,
Et bibit, & pleno ſe nectaris imbuit hauſtu.
Qua tamen auguſtam repetens ab origine famam
Incipiam? unde novi ſurget mihi carminis ordo?
Si genus, & magnum generoſo à ſanguine nomen
Dicere, ſi lapſos animus fert ire per annos,
Defunctaſque ciere umbras, iterumque ſub auras
Æthereas revocare, Heros ſe plurimus offert,
Et nulla tantum jactant ſe gente Britanni;
Seu læti memorant Te, qui ſublime tuliſti
Carolidæ medios inter vexilla rebelles.
Seu Te, qui Batavum, puppi metuendus ab alta,
Vexaſti flamma laceras & fulmine quercus,
O animæ illuſtres, magni jam nominis umbræ,

Huc

Huc oculos (ſi non defunctos alta premit nox,
Et Libitina negat noſtri commercia cœli)
Flectite, creſcentem fama ſpectate nepotem,
Et non degeneres animos in bella ferentem.
Ut memini (cum ſæva movens exordia belli
Accepit ſocios infamis Hibernia Gallos)
Poſcere tela manu, ſtudioque ardeſcere pugnæ!
Tum primum fera caſtra ſequi, tum diſcere cœpit
Martis dura rudimenta; & jam certus eundi,
Muſarum delubra, ſuas inviſit Athenas;
Atque ibi lectorum juvenum ſtipante corona
Stat medius, ſic Phœbeios affatus Alumnos.
Felices, ſedem quibus hic habitare quietam
Fata dedere, ſuam & Pallas prætendit Olivam;
Si mihi concedat vitæ componere curas
Sponte mea fortuna, per hæc ego templa, per ædes
Palladias juro, per quas Avus ante ſolebat,
Hic, ubi pura fluit pleno ſapientia rivo,
Hærerem, hic ipſo vobiſcum abſumerer ævo.
Sed me tam placidos traducere leniter annos
Nec patriæ, nec veſtra ſalus, mea maxima cura
Permittit, rauco jamdudum buccina cantu
Ad funeſta vocat cum durâ prælia gente.
Et me ſors quæcunque manet, ſeu triſtior aufert
Bellorum caſus, referet ſeu lætus ovantem,
Vos tamen æternum dulces ſalvete Penates
Aonidum, atque aræ ſervate perennis honores.
Sint procul hinc ſemper Tiberina fluenta, nec almis
Fontibus inſinuet fœdam Geneva paludem.
Dixerat Ormondus, percuſſa mente dederunt
Oxonidæ gemitum; norunt quo vivida virtus,
Quo pugnandi ardor primo certamine ferret,
Et quantis charum objicerent Heroa periclis;
Plurima tum memorant, quæ Martis amore calentem
Lenirent animum, ſed multa diuque precati
Nequicquam verbis tentarunt mitibus aures:
Ergo alacris belli caſus comitatur in omnes
Wilhelmum, audenter Gallorum terga prementem
Boiniadæ videre deæ, & timuere prementi.
Quis cantare parat, quos telorum undique denſos
Suſtinuit nimbos, cum vallo inimica ſub ipſo
Caſtra laceſſivit, ruerent cum à montibus hoſtes,

Et fugerent tarda quantumvis mole Batavi?
Me juvit meminiſſe magis prope littora Schaldis
Urentem vultu nymphas, quas agmine lecto
Formoſas ſecum comites Ludovicus habebat:
Illæ inſignem armis vicinæ à vertice turris
Spectavere Ducem, nunc inter ſigna morari
Haſta nitentem, mox pulſantem ungnibus auras
Frangere cornipedem, & varios torquere per orbes:
Una omnes laudant, & quis ſit ſæpe requirunt;
Vicinamque aliqua aſpectans obliqua ſodalem,
Nil nobis ſperare ultra conceditur, inquit,
At ſaltem minus hunc inimicum optare licebit.
Ille fatigat equum ſpumantem, atque impiger ardet
Cum Gallo, aut torvo in pugnam deſcendere Sueco.
Hoc ſatis armorum eſt, tandem ſuſpende Gradivo
Emeritum Princeps enſem, & nos mitior audi:
Te Muſæ atque artes, Te jam, fortiſſime, pacis
Expectant ſtudia alma; ſinas, & vota tuorum
Pro reditu valeant, quæ non valuere morari.

DUX SABAUDIÆ

CONVALESCENS.

JAM ſuper oppoſitas heros Sabaudius Alpes
Ibat ovans, triſteſque minas & bella ferebat:
Haud patrio abſimilis Rhodano, cum prodigus undæ
Excurrit ripas, & totos concutit agros,
Atque idem exitio eſt pecori pecoriſque magiſtro.
Talis purpureis Amadeus ſpendidus armis,
Per medios volitans inimicas terruit urbes.
Nec quiſquam Heroa inſtantem bellumque ferentem
Suſtentare valet: Fugit ilicet ocyor Euro
Gallus, & attonitum caput inter mœnia condit.
Inſequitur Princeps. Illum non ardua moles
Ebroduni tenuit, nec celſi arx alta Vapinci.
Quin ita Lugdunum conſpecto expalluit hoſte,
Ut miſer inviſam Rhetor dicturus ad aram.
Sed nihil elatis fas quenquam fidere rebus.
Qui rapido modo vectus equo per tela volabat,
Nunc illum lectica tenet; dum tempora laurus
Ægra tegit, mæſtis victoria concrepat alis.
Namque hoſtis, patriis inſtructus fraudibus, ignem
Indidit occultum, & tacitum ſub pectore vulnus.
Neſcia mens hominum ſortis, Lodoice, futuræ.
Tempus erit, cum tu cedens victricibus armis,
Et male quæſitis fugiens vagus exul ab oris,
Optabis proprio vitam finire veneno.
Jam ſiluere tubæ, victiſque exceditur arvis.
Pax non læta redit, feſtis inimica triumphis.
At tibi, cui ſoli optantur, Dux maxime, deſunt
Alta quies, placiduſque ſopor. Te torquet anhelum
Perpetuus dolor, & vexat præcordia virus.
Nil medicæ valuere manus, nil irrita matris
Vota juvant. Urit nunc acris flamma medullas,
Aſtringit nunc frigus; amant alterna dolores.

Sed

Sed Pater Ætherea languentem ut vidit ab arce,
Conſtitit, & totum gemitu tremefecit Olympum;
Orſus ſollicitas imo de pectore voces.
Ætherei proceres, quis nos mortalia credet
Æternis regere imperiis? quis dira timebit
Fulmina? quæ ſacris adoleſcent ignibus aræ?
Si neque præclaros animarint præmia mores,
Nec dentur meritæ ſcelerato à ſanguine pœnæ?
En ubi ſe celſa jactat Lodoicus in aula:
Comtemptor divum Lodoicus, & improbus ipſis
Infert vim Fatis. Quantas dedit ille ruinas!
Quæ templa evertit! quales violaverit aras!
Sed vivit, ſeroque ultorem ſentiet ignem.
Interea mæſtas dum ducit languidus horas
Dux pius, & Gallis nequicquam voce minatur;
At vos ſi qua fides, ſi qua eſt clementia cœlis,
Dii tantum ſervate ducem.
Hæc ubi dicta dedit cuncti ſimul ore fremebant
Cœlicolæ.-------
Primus ibi ex alto Phœbus delapſus Olympo
Marmoreas viſit ſedes, numenque profeſſus
Auguſtam tetigit dextram: ſimul improba cedit
Febris & ad mæſtas fugit indignata tenebras.
Jamque novas ſumit Princeps in prœlia vires:
Depoſitum accingit clypeum, gladiumque triumphis
Aſſuetum; & totus fulgenti ſplendidus ære,
Spumantem conſcendit equum, tum verbere terret,
Et fodit inſolitis magnos calcaribus armos.
Exultat ſonipes, rutiliſque ſuperbit habenis.
Stant circum lecti Juvenes, enſeſque minaci
Adglomerant capiti, Gallumque in prœlia poſcunt.
Ille aſtu ſubit, & muris ſe condit opacis;
Tum vero ingentes attollit in æthera moles;
Saxa premit ſaxis, & turres turribus altas
Accumulare parat; dein ſummis mœnibus aptat
Tormenta, & vaſtos imitantes fulmina Bombos.
Sed nihil inſano juvat indulgere labori:
Immanes ſcopulos, totaſque opponito ſylvas
Indefeſſe, tuis Pyrenæum Alpibus adde;
Omnia perrumpet Sabaudius, omnia vincet,
Qui vicit veſane tuum, Lodoice, venenum.

Non

Non aliter cœlo fulvus Jovis ales aperto
Dum volat, & magnas ad nubes explicat alas;
Tum ſi forte levi conſpexerit arduus herba
Anguem, ſanguinea vitiantem gramina ſpuma,
Devolat ad terram, atque hoſtem premit acer adunco
Luctantem roſtro: Simul hic exterritus ore
Sibilat horrendo, nec plura moratus acerba
Vulnerat incautum lingua, fallitque veneno.
Saucius ille fugit paſſimque vagatus ab almo
Monte ſalutiferam lætis capit unguibus herbam.
Tum redit in campum, atque hoſtem nil tale timentem
Arripit ore fero: ſinuoſa volumina ſerpens
Nequicquam verſatus inania ſibila mittit;
Acrius ipſe urget victor prædamque recurvis
Unguibus hærentem ſecum ſuper æthera tollit;
Illum alte volitantem æquat victoria Cœlo.

TERRÆ MOTUS JAMAICANUS

PErdiderat Natura modum, laxarat habenas
Rerum ſancta parens, veteriſque repagula mundi.
Plurimaque Oceanus præter ſua littora norat.
Orbem jam totum victor luſtraverat Anglus,
Qua mare, qua terræ, qua ſidus currit utrumque,
Nec ſatiatus erat. Fruſtra eſt tetigiſſe Columbum
Ignotos portus, prætentaque littora Cubæ,
Spaniolæque ſinus; ultra fælicibus Angli
Provehimur velis: ultra quam Phœbus anhelos
Torquet equos, ipſum quoque pone reliquimus Eurum.
Auſtrales primus Dracus rate vectus in undas,
Magnanimo nimium cœpto properabat, & ultra
Ultra anni, ſoliſque vias, & neſcia pingi
Flumina tendebat, loroque coercuit orbem,
Auſus non ficta tellurem cingere Zona.
Inde Cavendiſius non inferiora ſecutus,
Soliſequis Geminos inviſit navibus Indos.
Hudſonus, & Baffin Boreales detegit oras:
Davis, & Heroes reliqui; quos ſuſpicit æquor,
Rectius & Divis velit accenſere Marinis.
Hi multas nobis ſedes peperere, beata
Arva, ſecuturis multum ceſſura Britannis.
" Sed nec in Arctoo ſedes nos legimus orbe,
" Nec polus adverſi calidus quamergitur Auſtri.
Inter utrumque Anglus librati pondere cœli
Orbe tenet medio regnis firmanda futuris.
Ergo iter emenſis, ubi tandem ſole cadente
Metitur nox æqua diem, qua Mexica regna
Extenſum longe & late ſinuantur in arcum,
Devenere locos lætos, freta conſita terris
Innumeris, & Quas poſſis dixiſſe beatas
Fortunatorum ſedes, hortoſque nitentes,
Heſperidûm Nemora, hæc etiam ſervata Dracone.
Nam Camercanas olim Cyclopes habebant
Terras, humano veſcentia monſtra cruore,
Cannibales dixere, Deum qui numine ſpreto,
Crudivoris hominum laniabant faucibus artus.
Mox ubi cæperunt domitis miteſcere monſtris
Hi ceſſere loci Hiſpanis, & amœna vireta,
Qui vix ceſſerunt primis feritate Colonis.

Hos

Hos tandem aggreſſus fatis ducentibus Anglus,
Claſſibus invictis tumidos ſuperavit Iberos,
Jure novus captis gaudens regionibus hoſpes.
Aſt inter reliquas longe caput extulit una
" *Inſula dives opum, ſtudiiſque aſperrima belli.*
Jamaicam dixere, nihil felicius Illa
" *Extremo veniens ſol aſpiciebat Olympo.*
" *Hanc & mollis hyems, & frigida temperat æſtas,*
" *Ver ibi perpetuum, varios ibi flumina circum*
Fundit humus flores, ſpirant Opobaſalma ſylvæ.
Aer inexhauſto fragrat divinus odore,
Omnigenæ fruges ſemperque recentia mala
Nunquam defeſſo ditant pomaria fœtu.
Tardius expediam quot piſcibus æquor abundat,
Quot bobus campi, quantiſve volucribus æther.
Dicere nec fas eſt quæ grana, legumina, pultes,
Quotve bibant tenera dulces ab arundine ſuccos;
Quotve beant alias ſtipato nectare gentes;
Quotve aliunde trahant rutilantis pondera nummi:
" *Quot baccas conchæ radant, quot ſtringere venas*
" *Ferventis maſſæ crudo de pulvere ſueſcunt.*
Omnia tam læto funduntur numine Divum
Proventu, ut credas, ipſos habitaſſe Jamaicam.
O fortunatos nimium! bona cum ſua norint
Ruricolas nimium, Propria hæc ſi dona fuiſſent,
Aut miſeris res ſiqua diu mortalibus eſſet.
" *Heu quia nam tanti cinxerunt æthera nimbi!*
" *Quidve pater Neptune paras quove Æole tendis?*
" *Nam ſubito aſſurgens fluctu nimboſus Orion*
" *In vada prona furit, penituſque procacibus Auſtris*
" *Torquet aquoſam hyemem, & cœlo cava nubila rumpit.*
" *Tunc quoque magna maris rabies iviſſet ad aſtra;*
" *Ni ſuperum Rector preſſiſſet nubibus undas.*
" *Hic ubi disjectas moles, avulſaque ſaxis*
" *Saxa vides, miſtoque undantem pulvere fumum.*
" *Neptunus muros, magnoque emota Tridente*
" *Fundamenta quatit, totumque à ſedibus imis*
Subruit Oceanum, cataclyſmoque obruit urbes
Attonitas, nunquam violentior Ennoſigæus.
At parte ex alia, qua ſaxa rotantia latè
Intulerat torrens, atque acta tonitrua nimbis,
Hippotades ventos, tempeſtateſque ſonoras

Liberat, Æolioque ruentes carcere Coros.
Una Euruſque Notuſque fremunt, creberque procellis
Africus, ingentes quaſſantes turbine Montes,
Templaque numinibus male cuſtodita malignis.
Inſequitur clamorque virum ſtrageſque domorum.
Nam non ut quondam luſere per æthera venti,
Aſſueti placide ſuperas volitare per auras:
Sed jam per cæcos ductus, terræque meatus,
Atque improviſo protruſit tramite nimbos
Æolus, horriſoniſque cavernas flatibus implet.
Sunt etenim obſcuri in gremio telluris hiatus,
Innumerique ſinus, prælargo fornice fulti.
Ingentes hiſcunt latebræ, vacuique receſſus
Ignota ſpatia, & vaſtiſſima ſqualet Abyſſus.
Huc volitant motæ magnum per Inane procellæ,
Et Chaos immenſum, (O quantum eſt in rebus inane!)
Hæ prorumpentes ſpelunca noctis ab atra,
Cuncta ferunt, miſcentque ſimul, rapiuntque ruuntque
Proſternunt ſubito ſata læta, boumque labores,
Tecta, lacus, ſylvas, urbes, fluvioſque, feraſque,
Miſta virum & Juvenum denſantur funera, Terra
Ipſa ſuos ſatagit, ſorpſiſſe voragine natos.
(Eſt tellus quandoque Uterus quandoque Sepulchrum)
" Quis cladem Illius Populi, quis funera fando
" Explicet! aut poterit lachrymis æquare dolores!
At vos O proceres, priſco qui jure Britannum
Redditis immotum ſolidis virtutibus orbem,
Atque inconcuſſi quorum libraminis omni
A fluctu defendit onus, naveſque, domoſque;
Audite hæc faciles; miſeri vos ſiqua popelli
Tangere cura poteſt, miſeræ date vota Jamaicæ
Præ Zoroaſtræis terram fixura ſuſurris.
Sic tremulus noſtro motus ceſſabit in orbe;
Et mihi qui tenui tam grandia conor avena,
Mi pacem, veniamque ſimul præſtate Trementi.

DESI-

DESIDERIUM GULIELMI.

Horatius, Virgilius, Fannius.

H. *QUO Maro? quas tacito tecum ſub corde agitas res*
Plus ſolito triſtis? fidam deponere in aurem
Ne metuas, ſeu Te pulcherrima Niſa tenet jam
Devinctum, ſeu formoſus faſtidit Alexis.
Fare age, quod docta meditaris arundine carmen?

V. *Hæc olim, dum tempus erat Venuſine; canentem*
Dum fovit, ſtudiiſque dedit bonus otia Cæſar;
Nunc abiit meus ignis, abit ſimul omnis avenæ
Cura Syracoſiæ, vel quicquid, Amice, facetum
Quicquid molle meæ poterant, te judice, Muſæ.

H. *Quid caſtris agitur, quo res Romana loco ſtat,*
Et ſatis audivi, & novi te valdius; at me
Sollicitum curis ſolvit generoſior uvæ
Conſitor, atque alacres animo ſpes paſcere juſſit.
Ac Tu, dulcis Amice, potes ſi cedere Flacci
Lenibus Imperiis, accedas ſiccus ad unctum,
Et mecum argumenta doloris ſeria fallas.

V. *Ah tecum faciles habitant ſub pectore riſus,*
Et leviore micant agiles tibi ſanguine venæ.

H. *Quinetiam nos & ſapiens horti ille magiſter*
Edocuit, ne forte animo quid triſte ſederet,
Quæque ferat cras negligere, & præſentibus uti.

V. *At me, Natura indulſit cui parcius ignem,*
Quemque infelici Saturnus temperat aſtro,
Ingemere, & triſtes animo ſine volvere caſus.

H. *Quos caſus? quod regna tuus jam barbara Cæſar*
Invadat, ſuperet quod inhoſpita ſaxa Niphatis
Armenios Romana daturus ſub juga victor,
Tonſores inquam norunt; jampridem ego fidens
In reditum Domini perituram paſco juvencam.
Imo etiam fauſtum ſignavi carmine votum,
Divis orte bonis, *& quæ tu cætera, ſi mox*
Lætior explicuit frontem tibi Bacchus, habebis.
Tu tamen interea tua ſobria, quamque ſecas ſpem,
Et quid pro charo vovisti Cæſare profer.

F. *Nobile par Vatum, quos large flumine ſacro*
Bellerophonteis fovit Thymbræus in antris,
Gratulor, & ſociis commendo χαῖρε poetis:
Nam me Phœbus amat, me irroravere liquores
Fontis Dircæi, & miranda poemata pango.

H. *Imo ſatis miranda.* (V.) *Quid hic molitur hiator?*
Noſti hominem? (H.) *Nimium novi ex quo numine lævo*
Ibam forte via ſacra (F.) *Me, Vir bone, dicis*
Ignoras? ergo ignotus tu vivere Romæ
Argueris; mea late effulſit gloria, cum Te
Villula celavit miſeræ vicina Cremonæ.
Piſo me Variuſque colunt, nam non modo verſus
Sed Vates facio, & me jam vox publica cotem
Proclamat ſcriptorum (V.) *Alios quia reddit acutos?*
H. *O minime, tantum quoniam exſors ipſe ſecandi.*
Fannius hic eſt, quem vano conamine dixi
Concluſas imitari hircinis follibus auras.
Sed fatue libros alienos increpat, audet
Et Mæcenati nugas offerre ſonoras.
F. *Quas chorus obſervare per interludia leges*
Debeat, oſtendi Latio, quo errore laboret
Pacuvius, clarique, tragædia grandior Acci:
Atque Sophocleum unus doceo, ſcriboque cothurnum.
H. *Metra nimis producta: tuæ tamen, inclyte Fanni,*
Conſtringi nequeunt breviori limite laudes.
Virgilio ſed cede parumper; Cæſaris ille
Orditur laudes, & jamjam mente volutat
Quæ pugnantis erit, vel quæ redeuntis imago.
V. *Nec reges, Venuſine, meis, nec prælia regum*
Sunt Muſis tentanda, ex quo mihi Cynthius aurem
Vellit, arundinea nugari & juſſit avena.
H. *Non ſatis hæc, nec tu ſic excuſatus abibis,*
Uſque tenebo, rogandus adhuc ſi ſæpius eſſes
Quam meus Hermogenes oranti ſurdus Amico.
V. *Cæſare nil dignum noſtræ potuere Camænæ,*
Pauca quidem luſi (H) *Referas tamen illa rogamus:*
Nam neque nos numerare ſolemus carmina, nec te
Vel Laberi cenſum, vel Fanni ſcrinia poſco.
F. *Quid vero hoc? num me poſcis? cupio omnia quæ vis.*
H. *Non ego* (F.) *Seu poſcis ſeu non, Nos Cæſare digna*
Carmina condidimus quæ non celabimus ultra.
Quo, furibunde ruis Nabathæas Cæſar, in oras,
Perque nivis montes, per teſqua immania Tauri
Cogis iter durum impavidus, non te inde profundo
Pigra lacu Tonitis, & hinc Artaxata terrent?
Et bene barbaricos referentia nomina mores?
Martis amans nimium jam ſub Jove vivis aperto,
Et vultum indomito torret tibi Sirius aſtro;

Teque

Teque Palatina non contemplabimur aula
Donec triſtis hyems cana nive conſpuat Alpes,
Urnigeri & Phœbus contingens limina ſigni
Imbellem e radiis ſpargat crinalibus ignem.
H. *Siſte parum Stentor, cave ne ſubſellia frangas;*
Æquus jam ſua Virgilio permitte viciſſim.
V. *Pauca inquam luſi, quæ nondum parte polita*
In Flacci metuunt deſcendere judicis aures.
F. *Sentio quid dicas, Jovis auribus omnia ſervas.*
H. *Et Tu ſervaſſes utinam.* (V.) *Tibi cum bene, Fanni,*
Ceſſerit, & nobis aliquid ſperare licebit.
Cæſar abis; quos non ardens in vota laceſſit
Roma Deos? quæ non donis altaria fumant?
Aula gemit vidua, & mæſti, tua turba, Poetæ
Te veniente die, Te decedente requirunt.
Tu tamen interea, qua ſeſe plurima lethi
Obvertit facies, medios contendis in hoſtes,
Nec laurum ſine vulnere amas: deſiſte triumphis,
Si tanti nobis Aſiæ victoria conſtat.
Hanc tibi pro charis curam mandabo Latinis
Præcipuam, illorum ut paulo ſibi cura recedat,
Cautius & ſævo velles te credere Marti.
Hæret adhuc animo pugnam intentantis imago,
Cum lectos bello comites claſſemque parares;
Cum monitis precibuſque ferocem inflectere mentem
Certarent proceres, ſtudioque avertere belli:
Conſiliis fruſtra Mæcenas lenibus inſtat,
Et nullo Meſſala bonus ſermone movebat.
Talis Sidonias ultro rediturus ad oras
Regulus, obſtantes durus dimovit amicos;
Nec ſoror affatu molli, lacrhymiſque decoris,
Nec moritura ſuper crudeli funere conjux
Detinuit, blandis humeros amplexa lacertis;
Vincit amor Patriæ. Non illo ſegnior ibas,
Et tanta in torvo ſedit conſtantia vultu.
Diique Deæque omnes, quorum ſub numine fælix
Auguſti a primis adolevit gloria cunis,
Vos queis Cæſarea præclarum à ſtirpe Nepotem
Cura fuit ſervare, atque alte attollere fama
Magnanimum Heroa, indigno dum cæca tumultu
Plebs furit, imbellique tumeſcit Caſſius ira;
Si veſtris etiam auſpiciis ſub jura volentem
Accepit populum, palmam per tempora victor

Si geſſit, patruique cadentem à vertice laurum,
Extremum hunc oro, Dii, fortunate laborem,
Securumque Ducem per bella per æquora Romæ
Reddite, nec miſeris nova condite fata Latinis.
Hæc ego: Dii firment. (H) *Equidem nil triſte verebor*
Si tuus illorum cantus referatur ad aures.
Me quoque vota eadem exercent, hæc veſpere ſero,
Hæc ego mane recenti, hæc ſiccus & uvidus opto.
V. *Quin age, Flacce, lyram ſuſpenſaque fila reſumas,*
Cæteraque expedias. (H) *Quos ergo incuria fudit*
Verſiculos, quoniam ad mea me promiſſa vocaſti,
Incipiam, patiarque vel inconſultus haberi.
F. *Expectare tamen, meliori & cedere debes,*
Nam mihi corda calent, nequeo cohibere furorem
Phœbæum, & dominantem intus compeſcere Muſam.
Ergo ſacros Romæ parat ultima terra triumphos,
Jamjudum prono nutare cacumine Taurum
Cerno, & captivos Euphratem advolvere fluctus.
Fallor an accepit domitus tua fræna Phraates?
Ecce pharetratus reddit vexilla Tonanti
Parthus, & Eois fulgent Capitolia ſignis.
Jam dominos terrarum optatæ ſecula pacis
Longa beant, dum vincta manus civilis Enyo
Dente fremit, clauditque immota repagula Janus.
H. *O Fanni, quicquid prædicas aut erit aut non,*
Eventum ſuperis permitte, & deſine plura:
Nam ut verum fatear, nunquam donavit Apollo
Divinare mihi, vel credere divinanti.
V. *Cæſar, in Armeniis potius ſis finibus exul,*
Quam Romam redeas, illo cantante triumphos.
H. *Nempe inter Parthoſque ſagittiferoſque Gelonos*
Tutus erat, nullumque accepit pectore vulnus;
Quorſum? quid refert ferro pereatne poetis?
F. *Carpere grandiloquum, quem novit fama, poetam*
Deſinat, ac ſolido laſſare in marmore dentes
Ruſticus hic; (ad H *& Tu vini ſomnique benignus,*
Si libet inſanire tibi, mecum accipe chartas
Et calamos, videamus uter plus ſcribere poſſit.
H. *Cedo; animi nam me finxit Natura puſilli*
Exiguique (V) *Nec hæc arrident tempora muſis,*
Carmina tum melius, cum venerit Ipſe, canemus.

ADMINISTRATIO MARIÆ.

DUdum relicto pectine Lesbio,
Nunc ad priorem ſic temere feror
Inſaniam. O Pecten, movere
Qui ſuperos potes, & creare,

Hoc ſi ſupremum carmen amicior
Camæna pulchrum ducet in exitum,
Te, Blanda teſtudo, lyramque
Emeritam tholus hic eburnus

In pace ponet tempore poſtero:
Haud ulla rurſus dextera pervicax
Audebit ad priſcum quietas
Officium revocare chordas.

Me ſi Lycoris *dura refugerit,*
Non Tu quereris flebilibus modis;
Me ſi bearit, non, ut olim,
Voce Tua peragam triumphum.

Maria, *magni Comparis æmula,*
Te deſtinamus materiem; *Tibi*
Theatra clamant, ac jocoſa
Admonitus ſalit Iſis *unda.*

O Diva, ſi quid forte Tibi vacat
Nec ſemper urges pectus amabile
Curis, geriſque ſemper Anglo
Sollicitam ſuper orbe frontem,

Deſcende paulum huc, & propior Tuas
Inviſe Muſas, dum Tibi Regiam
Urbem æſtus infeſtat, Caniſque
Pene novum minitatur ignem.

Videbis omnes laudibus in tuis
Fervere vates: Pars ad originem
Recurrit, & clarum ſalutat
Per memores genus omne faſtos:

Hic enitentem corpore gratiam
Narrat; manuſque, & cæſariem, & genas
Miratur, incedens per ignes,
Et nimio periturus auſo.

Alter ſonabit, Tu bona, Tu pia,
Tu pura vitæ, & juſtitiæ tenax,
Mittetque virtutes in ævum
Egregiis numeris Poeta.

Non hæc ab uda fas fuerit Tibi
Sperare Leyda: *Laurea* Belgicam,
Quocunque delinita cultu,
Odit humum minus hoſpitalem.

At o! Quis almum tollet honoribus
Diem, labanti qui dedit Inſulæ
Spem primus, ultricemque flammam
Borbonias *tulit in carinas?*

Illas ovantes in vacuo mari
Matrona longe ex mœnibus Anglicis
Proſpexit, ut charis diurnum
Virginibus dabat æqua penſum;

Ah, flete, dixit, fata Britannici
Extrema regni! Quæ nova Wallia
Victis favebit, atque fractum
In gremio populum recondet?

Vos in catenis quatenus auguror,
Captas puellas auferet inſolens
Cohors, & ignotum bibetis
Aut Rhodanum *procul, aut* Garumnam:

Tunc, vel ſuperbum veſter erit labor
In Ludovicum *pſallere carmina*
Lauroſque, ſupplices que gentes,
Et trepido data jura mundo;

Vel imperatæ ſtamina purpuræ
Texetis auro, quam Domina induet
Pariſiana, *quo ſagatum*
Luce nova feriat maritum:

Sic elocuta eſt. Atqui aliam vicem
In lance pendens fata Dieſpiter

Parabat:

Parabat: Extemplo volantem
Ad ſcopulos, & amica ſaxa

Gallum *videres, fulmine percitum*
Anglo: *Videres nantia* Lilia,
Trabeſque, & Antennas, Deoſque,
Præcipiteſque rates, & ipſos

Duces in undis; heu, nitidos comæ
Fruſtra, & ferentes pignora Virginum
Lævo lacerto, dum repellit
Dextra graves operoſa fluctus.

Ex hoc in hoſtem bella refundere
Ardemus ultro: Jam freta milite
Anglo *relucent; Jam potiti*
Oppoſita dominamur ora.

Normanna *Tellus, unde genus virum*
Audax Britanna *crevit in Inſula,*
O Pulchra mater! O tot alma
Poſt hyemes repetita, ſalve!

Agnoſce natos, qui tibi vincula
Rumpent dolenti; ſeu Lodoix *fremat*
Præſens in armis, ſive priſca
Ex Erebo redeat Joanna.

Nova Philoſophia Veteri præferenda eſt.

QUouſque Veterum veſtigiis ſerviliter inſiſtemus, Academici, nec ultra patres ſapere audebimus? Quouſque Antiquitatis ineptias, ut ſenum deliria nonnulli ſolent, religioſe venerabimur? Pudeat ſane, dum tam præclarum ætatis hujuſce ſpecimen coram oculis præſens intuemur, ad Antiquos encomia noſtra transferre, & inter priora ſæcula quos celebremus ſedulo inveſtigare.

Satis ſuperque Veteri Philoſophiæ conceſſum eſt, quod Stagyritæ laudibus Theatrum toties ſonuit Sheldonianum, quod Ille vel Alexandro ſuo major in ſcholarum roſtris tam diu impune triumphavit, & totum mundum habuit Diſcipulum. Fæliciori tandem ingenio ſuccedit Carteſius, qui contra omnes omnium oppugnantium vires veritatem pertinaciter aſſeruit, & novum hoc introduxit philoſophandi genus; ſi vero Philoſophiæ iſti Novitatis nomen tribuendum ſit, quæ quanquam jam primum innotuerit, vel Peripateticam Antiquitate ſuperat, & ipſi materiæ, à quâ derivatur, extitit coætanea. Illuſtris ille Vir, quem unum Galliæ invidemus, proinde omnia explicuit ac ſi ipſe totius mundi olim fuiſſet Architectus: Diffregit ille vitreos iſtos cœlorum orbes quos veterum inſomnia compegere, ex materiæ latibulis ignotam eruit Formarum turbam, & elementum Ignis penitus extinxit, imo totam tam dilucide depinxit rerum univerſitatem ut nulla jam Qualitas relicta ſit occulta. Inter mundi Ariſtotelici anguſtias & mœnia chryſtallina diutius coarctari dedignatur Philoſophus, juvat undique ſuperiores cœlorum tractus explorare, novoſque ſoles, & mundos inter ſidera latentes detegere; juvat immenſas haſce ætheris plagas orbibus erraticis paſſim interſperſas, terraſque per viam lacteam undiquaque diſcurrentes intueri, & machinæ totius molem rectius metiri, machinæ jam tandem dignæ ubi philoſophorum animi expatientur, Deo dignæ opifice.

Nec ſolum in Cœlis orbes novos, ſed ſi in Tellurem deſpiciatur, diverſa Animantium genera hodierna patefecit Philoſophia, dum Perſpicilli ope oculorum acies intenditur, & obvios ſe produnt minutiſſimarum rerum partus; dum curioſo intuitu animatas conſpicimus materiæ particulas, & reptiles miramur Atomorum viventium acervos: uſque adeo

eo vel oculi acriores fiunt Neotericorum artibus, & opus, quod unum ex omnibus optimum voluit natura, emendatur & perficitur. Non jam barbaras Peripateticorum voces & obſcuriores ſcholarum terminos tanquam Oraculi ambages inepte veneramur, ſed ipſa ſenſuum dictamina conſulimus & machinis nuper inventis tormentum quoddam Naturæ admovemus quibus cogitur arcana ſua abditiſſimaſque vires palam confiteri.

His adjuti inſtrumentis etiam Aerem, quem omnibus indulſit naturæ benignitas, nos potentiori arte quoties libet animalibus negamus, pneumaticoque carceri incluſis commune auræ ætheriæ conſortium interdicimus: ut juvat irritos pulmonum conatus intueri, vitam exhaurire, & ſpiritum ipſum ingenioſo quodam furto ſurripere! ubi nihil adeo tutum eſt, adeo Animæ ſuæ tenax, quod non paulatim effrigeſcat, & nullo accepto vulnere concidat cadaver. Divinum hoc quidem Artis opus, & Autore ſuo non indignum, qui vitæ moribus & Argumentorum pondere gentem noſtram & novam tam eximie cohoneſtavit Philoſophiam, qui hinc certe meruit ut aeris ſui beneficio nunquam deſtitueretur, & qui cætera animalia toties vita ſpoliavit, ſuam nunquam exhalaret.

Non hiſce quidem auxiliis innixus ſuam contexuit Philoſophiam Ariſtoteles, qui omnes ex ſeipſo eruit Artium & Scientiarum regulas, & nihil intactum nihil illibatum reliquit præter ipſam Veritatem: ſi ideo in Euripum quoniam illius naturam non ſatis habuit exploratam ſeſe præcipitem immerſerit, eadem quidem ratione adduci potuit ut in ipſo Philoſophiæ ſuæ limine mortem ſibi conſciſceret, & optimo quidem jure dubitare liceat in quo Elemento præter cætera potius debuerit periiſſe.

Quin ubi inter Euripi fluctus actum eſt de Ariſtotele nova tandem ſuccrevit Peripateticorum progenies, vel Parente pejor, quæ Philoſophiam tanta verborum caligine involutam poſteris reliquit, ut hoc ſolum obſtet quo minus omnium riſu & dicteriis excipiatur, quoniam à pauciſſimis intelligitur. Inveniuntur autem qui inter has commentariorum ſarcinas, quibus hæc blateronum ſoboles mundum oneravit, operæ pretium ducunt ætatem terere, qui divinos hos Literarum theſauros volvunt denuo, revolvuntque, nec unquam prodeunt, nec ſtudiis ſe unquam abripiunt, niſi ut oſtendant quanto labore opus eſt ut erudiamur deſipere: num quod

enim poteſt ſpectaculum pulchrius exhiberi, quam ut pugiles hujuſmodi ſagaces inter ſe digladiantes intueamur? hic propoſitionibus & ſyllogiſmis armatus illum ſimiliter armatum aggreditur: uterque vervex indignatur, frendet, avidus victoriæ, quæ non tantilli eſt utri accenſeatur; uterque (quod unum poteſt) in alterum barbariſmos pro virili ejaculatur; irretiunt ſeſe tandem ineptiis & cum neuter videt quomodo ſe expediat, receptui canitur, & conſumtis utrinque armis utrinque viſum eſt demum conticeſcere.

Huc uſque, Academici, nec ultra progreditur Antiquorum Philoſophia, ineptam ideo hanc Commentatorum turbam Bibliothecis & catenis in æternum damnemus alligandam, ubi vermium & tinearum fiant pabula, & ab omni Lectorum inſpectu liberi placide exoleſcant.

Vetus Philoſophia Novæ præferenda eſt.

ASSURGITE hic quotquot adeſtis, Auditores, ad magnum illud nomen cujus tutelari genio noſtra inſignis Academia Philoſophiæ ſuæ patrocinium demandavit: nec ex tanta Eruditorum turba qui Vetuſtatem ſcriptis illuſtrem reddidere, hunc honorem cui deferret potuit uſquam Stagyrita digniorem ſelegiſſe. Ad emendationem Artium quot ille libros in omni diſciplina exaravit? Non, ut plurimos jam Neotericorum ineptiis refertos, ſed ubi pro cujuſque rei dignitate accuratiſſime diſceptatur, & natura, prout ipſa geſtit delineari, delineatur. Vos igitur quicunque memoriam Divini hujus Authoris, illa qua cultores literarum decet, veneratione proſequimini, lugete fatum infælicis Philoſophiæ, quæ ſub Peripateticæ nomine, à paucis forſan lecta, ab omnibus improbatur. Debetne enim Ariſtoteli accenſeri, quicquid illi attexuit barbaries Arabum, vel deliria Monachorum? In hos primum oportet ut ſtringam gladium, inſulſum gregem, quibus niſi juſta rependantur, nec ſatis videar Stagyritæ famæ conſuluiſſe. Quid enim indignius, quam ut ille, ſcriptor tanti judicii, tanti acuminis, in manus hujuſmodi homuncionum incideret, peſſima eloquentia, commentationibus peſſimis, deformandus? Gloriantur tamen ſe Philoſophiam ejus elimaſſe, in concinniorem methodum digeſſiſſe,

ſe, illuſtraſſe obſcuritatem, & quicquid emendandum erat, emendaſſe. Hæc omnia, pari ſane exitu, quo nos nuper vidimus, flagrante civili bello, nonnullos, ejuſdem cerebri, ejuſdem eruditionis, Religionem, qua nihil antea purius, in pulchriorem reformaſſe: Hi in Eccleſiam, illi in Scholas tot ridiculas opiniones invexere, ut vix illis jure ſuccenſendum videatur, quibus unice ad horum dogmata attentis, & Peripateticorum Philoſophia & Proteſtantium Fides, non ſecus ac ſi farrago abſurditatum repudietur. Suis argutiunculis ipſa contrivere Philoſophiæ fundamina, & ita attenuarunt, ut deinceps vix ſufferre valeant ſolidioris argumenti pondera. Anatomici cultri & lanceæ, quibus Animalis Naturæ rationes explorantur, tarda videntur diſſecandi inſtrumenta, præ minutiis terminorum diſtinctionumque, quibus hi mortalium ſubtiliſſimi ſolent magiſtri ſui mentem inveſtigare: De qua tamen velut inſtructa acie digladiantur, & inter ſe diſſidentes atrocius pugnant, quam ſi de imperio orbis decertaretur. Textum in medio poſitum hic in ſuas, ille in contrarias partes trahit, alter utriuſque ridet ſtupiditatem, qui ſinunt ſe tam longe à vero abripi, ut nolint ipſi, certiſſimo difficultatum omnium enucleatori, aſſentiri. Ad hunc modum infælix Stagyrita luit pœnas alienæ fatuitatis; quicquid hi delirant, illi imputatur; ille miſer pro cujuſque arbitrio vexatur, diſtorquetur; quæ nunquam vel ſomniando cogitavit obtorto collo introducitur, ut indigna ſe, ut rationi diſſentanea, loquatur. Illi quid non affixit Interpretum audacia? Vix licuit unquam Phreneticis ex variegata cœli facie tot figurarum monſtra ſibi effingere, quot enormes ſenſus eruuntur ex iiſdem verbis, quibuſcunque infæliciter accidit, ut hos enodatores ſortirentur. Cum igitur ad defenſionem Veteris Philoſophiæ deſcendatur, ne id agi arbitremini, quaſi noſtri eſſet inſtituti, ut horum nugamenta hic Panegyriſten invenirent. Omnes ſuis pereant cum quiſquiliis, nec ſi coram jam incendiis flagrarent, ejuſmodi eſſet ſtrages, ut quiſquam ſani modo ſincipitis moriturum rudus plorandum ſibi exiſtimaret. Archetypum ipſum intueamini, evolvite immortales chartas, argumentorum robore, majeſtate ſtyli, Authorem ipſum indicantes: Virum; qui ſolus omnium in univerſo orbe dignus habebatur, à quo initiis ſapientiæ & præceptis futuræ magnitudinis victor mundi erudiretur. In his nunquid humile, nunquid, quod Cœnobium olet, reperitur? De Rhetore quam ſublime loquitur! Quanto cum judicio

in Politicis! Cum de mundi fabrica, de primordiis rerum agitur, quam auguſtum Cœleſtium Orbium Syſtema! quam concinnus ſubter Elementorum ordo! horum deſuper ab influxu, illorum inter ſe conjugatione mutua omnia oriuntur. Quidditates rerum, puraſque putas potentias ad eos ablegamus, ubicunque inveniuntur, quos forte & ſenes factos non pudet barbariem adeo ſtupidam didiciſſe. Verum ſi in Eſſentias corporum ulterius libeat penetrare, conceptuſque noſtros, quouſque poſſunt intendi, meditando protrahere, diſſolvantur Elementa ipſa, cunctis qualitatibus, quantitate qua veſtiuntur, cuncta exuantur; donec una reſtat materies, ſolitaria, vacua, formis omnibus viduata, at volvente fato, illis rurſum omnibus ſocianda. Nonne Carteſius Veſter (hunc Virum quicunque vobis aſſeritis) hanc eandem methodum ab Ariſtotele mutuatur? Nonne ille longius progreditur? de unaquaque re, necne ſit, ita cogitabundus, ut dubitationes ſuas non prius ſiſtat, quam ſemet ipſum penitus exinanivit; & cum reſurgat à Contemplatione, manus, pedes, ſingula denique membra, carnes, oſſa de novo ſunt quærenda, ut in Animal ipſe denuo compingatur. Ab illo enim nonne totus homo non ſolam ad Materiam, ſed ad Animam; & quod monſtroſius eſt, demum ad nudam Cogitationem excoriatur?

Quoniam autem plurimis placet, ut Philoſophia ditione paulo ampliori donetur, nec ſemper ſub jugo vivat, per me licet extendat limites, quantacunque velit libertate fruatur; quo longius excurrit, eo latius Stagyritæ nomen diffundetur: quicquid enim Experimentis proficitur, eo tendit ut omnia demonſtrentur cum Peripateticorum principiis coincidere. Ne itaque diutius Fabulis, ne Hieroglyphicis involvatur, exeat Monaſteriorum Archivis, nec placitis cujuſquam Cathedræ nimis ſerviliter aſtringi ſinatur; ſed demum ſui juris facta, Dogmatiſtas inter & Scepticos media, neutro inclinare, & præter nudam & ſimplicem licet indotatam Veritatem nihil affectare. Ad hanc normam optime tandem inſtituta juſtos forſan vindices & fautores nanciſceretur, qui quod Veterum eſt nolint Veteribus derogare; ſed cum Antiquitate generoſius agendum judicarent, quam ut ſi quid inde ſuffurati ſint, veſtitu novo amictum Popello quaſi recens excogitatum venderent. Si notitiam humanarum rerum habeant Defunctorum animæ, exultabunt Stagyritæ manes, quotieſcunque videt poſſe vel tantillum Philoſophiæ

ſuc-

ſuccreſcere; cujus propagationi quouſque vixit, ipſe diurnos nocturnoſque labores conſecravit. Ne igitur Honoratiſſimus Philoſophorum Ordo, qui merito Regiorum nomine inſigniuntur, quorundam dicteriis qui omnes derident ipſi potius ab omnibus deridendi, ne hujuſmodi Sannionum contumeliis deterreantur, quo minus inſiſtant Stagyritæ veſtigiis, & incæptum iter proſequantur. Infandum opus, nec privatis ſtudiis abſolvendum, ſingulorum indole & ingenio perpenſis in communes manus partiantur. Immenſa eſt Naturæ abyſſus, mille formas & figuras induit, & habet ſexcenties mille latibula. Cum vero ita ſeſe comparaverint, ut liceat illis ſecreta ejus adyta perluſtrare, cum novorum Inſtrumentorum ope prima rerum momenta, intimas corporum texturas inſpiciant, per omnes latebras fugacem Naturam inſecuti, niſi poſt agendi conſtantiam ab initio mundi ratam jam tandem recuſaverit ſuis legibus conſtare, non poterit tot eruditas manus & ſagacitatem ludificari.

Ipſum olim Ariſtotelem, quo nemo minus aliorum opem deſideraverit, non puduit tamen ſuos ad gloriam curſus in eodem tramite direxiſſe. De Animalibus enim ſcripturus, quorum potuit, omnium ſibi auxilium ſociavit; miſſis undique qui ex variis plagis varias Animantes deferrent: & in illo eximio opere quam abunde meruit, ab unitis laboribus hujus eruditi cœtus ſperatur, ut ſuis aliquando ſcriptis indicent. Cui autem non bilem movent deſides illi, Philoſophi tamen magni nominis æſtimati, qui nullis experimentis, nullis vigiliis, ſed ſolum inſomniando inclaruere; qui neſcio quas fictitias imagines depereunt, qui laſcivientis Phantaſiæ ideis indulgent, & per integros menſes annoſque vanis tantum ſpeculationibus oblectantur. Hi tricis unice addicti dedignantur ſolidam utilemque Philoſophiam inſpicere; ſed Carteſii ad inſtar, vaga fingendi conſuetudine faſcinati aereas ſolummodo Chimæras comminiſcuntur; & ut alii Hiſtoriam, ita hi Philoſophiam, in fabulas pervertunt, & utrique ridiculi utraſque pene ridiculas reddidere. Quænam enim Cogitatio, quænam Hypotheſis uſpiam inter ſubtiles Carteſii argutias ſecerni poteſt, quæ ſemel in Praxin redacta ullatenus humano generi profutura videatur? Jam diu eſt, quod leges Motus, Vortices, excuſſamque Globulorum ictu Viſionem; quod fluxus refluxuſque Maris à compreſſione Lunæ; quod Striatas particulas, reliquaſque Gallici Præſtigiatoris Machinas, ridendo noſmet ſatiavimus.

At referat Cantabrigia, celeberrima Academia, immenſa iſta Beneficia, quæ uberius in ſe effundi ſentit, ab auſpicato illo tempore, quo primum dignata eſt Carteſium, nonnullorum hominum delicias, in gremium ſuum recipere. Quas Scientias, quas Diſciplinas oſtentat ſe poſſe jam proferre, quæ perinde elapſis ſæculis ibidem non floruere? Artibus jam pollet Oratoria & Poetica, pollet Dialectica & Matheſi; tam alte ibi Theologia in arcana cœli & vetuſtatis penetravit, ut merito ab exteris gentibus colatur, & vix Oxonium erubeſcat inde erudiri. At Medicina, quam unam Scientiarum omnium oportet maxime Philoſophiæ principiis ſtabiliri, Medicina docet, quam in deterius ſibi proſpexit, quando Philoſophiam Veterem cum Nova commutavit. Hæremus Ariſtoteli, & in ejus verba juravimus; at Williſios, at Loueros, at Ratclivios emiſimus; at multam jam juventutem alimus, futuram Medicinæ gloriam. Exulet ergo Stagyrita, & quicquid velit faveatur; nil ultra petimus, quam ut cenſeamur Academiam adeo illuſtrem una ſaltem facultate ſuperaſſe.

Quæritur utrum Vetus Philoſophia, an Nova ſit præferenda?

AUdiviſtis (Academici) acerrimum hinc Ariſtotelis, inde Carteſii propugnatorem; utriuſque ſane egregii Philoſophi, utriuſque tamen, quod humanum eſt, erroribus obnoxii. Ariſtoteles, (ut ab illo Orationem ordiamur) ut plerumque Philoſophia ſua admirationem, ita nonnunquam riſum excitavit. Facete quidem Sphæras ſuas Intelligentiis quibuſdam in æternum circumrotandas commiſit; benigne tamen cum eas labore tam gravi exercuerit, Harmonia refecit. Lepide profecto cum rerum cauſas inveſtigare non poſſet, occultas aſſignavit; omnibus propemodum nodis occurrit, una par, Occulta Qualitas. Mihi vero videtur Ariſtoteles (dum harum Latentium Qualitatum involucro coopertus, adverſarii impetum eludit) Homerico non diſſimilis Paridi, qui ingruente fortiori nubem ſibi prætendit. Fundamenta mundi ab æterno poſita, homini ſaltem Ethnico aſſerenti ignoſcimus; cum autem de futuro ejus Incendio inter omnes ab omni antiquitate Sapientes increbuit opinio, quid illum impulit ut interitum orbi denegaret; niſi fortaſſe quod Sphæram ſuam Igneam ad Incendia hæc excitanda non potuiſſet deducere? Aliquid demum de Formis illis, quas Subſtantiales nuncupat, dicendum reſtaret, ſi quid per has vellet dignoſcendi nobis copiam feciſſet. Hinc ortum eſt illud litigantium Philoſophorum certamen quod per tot ſæcula efferbuit, Rebuſque omnino omiſſis, de Verbis ſolum interceſſit: adeo ut periculum non mediocre ſit, ne veritas intermoritura videatur, cum Philoſophia in arenam tranſeat gladiatoriam.

Sed parcius decet tanti viri manes laceſſere, quos ſatis ſuperque Carteſius flagellat: ita tamen infeliciter, ut dum hujus errores inſectatur, ipſe aliquando in graviores incidat. Orbes illos quos Intelligentiis movendos Stagyrita tradidit, hic inſanis Vorticibus abripiendos demandat; Mundum quem Æternum Ille, hic Infinitum aſſerit; Lunam quam Ille elemento Ignis vicinam, hic in Terram mutatam voluit. Verum, ut de Cœlo deſcendamus, unde Carteſio tanta cum Brutis ſimultas? quid illi injuriæ intulerant, ut illis Animas ſurriperet, & cum Machinis & Automatis confunderet? Qui vero fit ut hæ Brutorum Machinæ Fœtus producerent? Stul-

titiæ ritu puerilis quæ trochos ſuos ludicros novam aliquando trochulorum prolem eniti ſomniantur. Sed nec Animas Brutorum ſufficiat tollere, niſi & Noſtras ſedi ſaltem damnet ignobili? niſi Mentem illam immortalem, quæ nec intra Mundi limites continetur, in exiguum carcerem compingat; ſentinam cerebri, glandulam quæ putreſcit ſæpe, ſæpe fæcibus & ſanie inundatur? Sed ut hoc compenſaret à Corpore nondum emortuo Animam ſeparari poſſe affirmat, utpote cui in tali ſede locatæ in votis eſſet ſeparari.

Non unquam tales nugas effutivit Ariſtoteles. Hunc ætas rudis maxime, & inculta venerata eſt, maxime politæ in gloriam ceſſit hunc penitius inſpexiſſe. Ad hujus normam omnis Veterum Philoſophia compoſita eſt, ea ad barbaros uſque Arabes, ad Sinenſes pervaſit, quo nec ſuus penetravit Alexander: ea tam longi temporis intervallo confirmatur, cæteris omnibus Athenarum Philoſophis pereuntibus, ipſis pereuntibus Athenis. Si in quibuſdam deliquerit, ignoſcamus viro, non rejiciamus Philoſophum. Ad Occultas Cauſas, ea quæ non bene excuſſit, modeſte retulit; dum Carteſius, utcunque perſpicuum ſe profitetur, iſtis quas inſectatur adhibet occultiores. Hujus tamen eſt cur laudemus Conatus, Ariſtotelis miremur Succeſſum. Hunc non omnino repudiemus, illum ut plurimum ſequamur: & ea maxime de cauſa quod tu (Inſigniſſime Vice-Cancellarie) veſtigiis illius preſſe inſiſtas, quod te Diſcipulum jactet Stagyrita, quem ſolum extimeſcere potuiſſet Rivalem.

EX-

EXPEDITIO GALLICA.

Ad Sinum Neapolitanum.

DII Maris! O quantos veſtra inter regna tumultus
Bina Claſſe ciet Ludovicus; ut utraque ſpumeo
Incumbens dorſo undarum freta cærula ſulcat
Æratis Roſtris, & craſſo abdomine laſſat!
Altera, victores nuper confeſſa Britannos,
Armaque Ruſſelli, Hogiacique Incendia portus,
In fatum ulterius rediviva, in Plena ruinæ
Ludibria aſſurgit, Torvilli ingloria Claſſis:
Altera, cui portum præbet Taurentia ripa,
Quam Pulchre infamem Gallis ulſciſcitur Annum!
Ipſa Hæres cladis, Jamque imis quaſſa carinis
Haud preſſura diu feſſos uncta abiete fluctus.
Oceani gyros intra, Herculeaſque Columnas
Parthenope aſſurgit; ſtatio bene-fida carinis;
Qua naves unco Hiſpanas ligat Anchora morſu
Per Baias late, prætexunt littora puppes
Tyrrhena, & pelago obvertunt longo ordine proras.
Hinc flexu undarum & curvo maris intervallo
Semota, efficiens portum per Cornua ripæ
Lunatæ, Armatum extendit Tolonia littus;
Maſſiliæ à tergo vicina, à fronte tuetur
Diviſam fluctu Italiam Auſonioſque Penates:
Hanc juxta Rhodanus pleno devolvitur alveo
In Medium Mare, mixtis undis ſeque Ararimque
Eructans, binoſque amnes uno evomit Ore.
Hoc munita ſinu, & morſu fundata tenaci,
Compreſſit fluctus, fæta intus milite, Claſſis
Gallorum, donec longa Maturuit arte
In fraudem D'Etræus, & arſit marte latenti
Per Baias furere, & furtivam educere laurum:
Deinde impellit iter velis & remige crebro
Parthenopen verſus, dubiis Inſignibus anceps
Anglorum & Batavum mentitus carbaſa Claſſem.
At caute invigilans D'Etræum agnoſcit Iberus,
Agnoſcit fraudem & falſi Mendacia mali:
Protinus irato ſtrepit omnis murmure Portus,
Et reſonant Baiæ; extemplo ſtant ordine puppes
Atque cavis uteris denſo fata abdita fumo
Eructant, timidoſque vocant in prælia Gallos:
Aſt Hi, non auſi prorſus ſe opponere contra
Corbettique Fidem Papachinique eminus arma.

Incumbunt remis & verſa claſſe recedunt ;
Polliciti meliora -------
Haud procul à Baiis Tolonia littora verſus
Vela dabant tremuli, cum viſum eſt gliſcere cœlum
Ignibus, atque Laborantes ſpumeſcere fluctus :
Indociles venti Æoliis dormire cavernis
Extemplo Oceanum miſcent, it ſtridor ad auras,
Puppeſque Proraſque invadit cærula moles ;
Protinus ingenti paſſim finduntur hiatu,
Atque alto crepitant ictu, perrumpit aquæ vis,
Delphineſque inter claſſis Patula Ilia ludunt ;
Hinc clamor gemituſque ; ingens labor undique fervet ;
Pars laxas firmare trabes, ruptoſque rudentes
Sarcire & vulnus mali, Pars claudere rivos
Irrumpentis aquæ, immiſſumq ; repellere Pontum.
Interea Hic Pinus avulſas montibus altis
Vidiſſes nutare, ut quondam in vertice Pindi
Ardua per juga, tanquam iterum radice ſoluta
Procumbant duro artifici cedantque ſecuri ;
Illic diſperſas paſſim per cærula naves
Queis moles minor eſt, nec proræ Triplicis ordo:
Hæ, tenues quoniam, late per mobilem aquarum
Torquentur campum, & ſuper undæ dorſa reſultant ;
Rimoſo donec latere & fiſſa trabe circum
Accipiunt Inimicum imbrem, Liquidamque ruinam:
Paulatim fugiunt oculos, Jam gurgite vaſto
Unda illis Uteros abſorbet, Jamque rudentes
Scandit & antennas, Jam ſoli vertice ſummo
Apparent mali ; totas vorat æquore vortex
Membratim, merſaſque imæ defigit arenæ.
Nec mora, D'Etræus Pubeſque a clade recenti
Fracta animos, fiſſique horrens declivia Ponti
Maturare fugam, & niſu alto impellere claſſem
Infirmam, & truncis diſcentem currere remis.
Aſt illa, ingenti vix arte erepta ruinis
In Portum luctatur, & urgens remige claudo
Durum iter, infamis lacero ſubit Oſtia velo.
Qualis, ubi ætherea lapſus Jovis ales ab arce
Inter aves furit & cœlo venatur aperto,
Saucius invehitur Cygnus, volat æthere pluma ;
Ille alto languens ictu jam commovet ægre
Remigium alarum, atque Cayſtri ad flumina nudum
Deponit latus, & per ripas vulnera luget.

SUR-

SURGUNT MOENIA,

NEC RUUNT MORES.

Publius. *QUinte per Oxonidas fama notiſſime Muſas,*
Quinte decus Phœbi, quem natum numine dextro
Alma fovet gremio Rhedycina, & jactat Alumnum;
Siqua tibi pietas, & cordi infixa reſedit
Trinæ cura Domus, ſi quis nunc mentem animumque
Æſtus agit, ſtimuliſque novis amor entheus urget;
Dic, age, Pieriis, veniant ad plectra, Camænis.
Ni properent, fruſtra artificum pia dextera ſudat;
Hæret opus jam dimidium, parieſque laborat
Auxilium implorans vatum, numeroſque potentes.

Quintus. *Te, Publi, tua vota ſequor, quocunque vocarint:*
Te cœlo dilecte puer, cui fuſus in herba
Sæpe leves calamo deflevi Phyllidis iras;
Sæpe tubam accendens, & Martia verba ſecutus
Magnanimos miſi bellum in furiale Tyrannos.
Quin Pater o Thymbræe, tuo ſi munere quondam
Threicius cantu lapides animaverit Orpheus;
Si, trepidante lyræ ductos modulamine, juſſit
Thebanos ſacer Amphion coaleſcere muros;
Nunc quoque, ſeu Pataræa tenes ſeu Delphica templa,
Alme veni, plenumque piis permitte furorem.
Quis neget & noſtra teſtudine ſaxa moveri?
Quis neget alterno conſurgere mœnia verſu.

Publius. *Macte novis templum auſpiciis, cui dexter Apollo*
Perpetuam laurum, atque æternos ſpondet honores!
Tu cum Sydereas educes culmen in Oras,
Aeriaſque vias inter, cœloque patenti
Fulgebis, Romana ſuis Capitolia Divis
Sordeſcent; non ipſa ſuam Latonia Delon
Reſpiciet, non Juno Samon, non Pallas Athenas.

Quintus. *Aſpice; Lætantes ubi Templi nomen in auras*
Exiit, & toto ſonuit vox fauſta Theatro;
Indignata parem Sheldoni nobilis ædes,
Et cunctis ſimul invidiam confeſſa columnis,
Erubuit, vinci metuens; varioque pudore
Purpureum caput, & laquearia pulchra notavit.

Publius. *Aſpice; qua ſurgunt turres, qua ſcandit in altum*
Ter ſuperis dilecta domus, ter amabile Saxum,

Illic læta ſimul Pietas, & Gratia ſcandunt,
Et pudor, ingenuæque artes, & fama BATHURSTI.
Quintus. *Non ea, cæruleo quamvis caput æthere conc*
Cœlum inimica ferit, terroremque admovet aſtris,
Tollens centimanos bella in ſcelerata Gigantes:
Vertice ſed ſacro, ſummique cacumine tecti
Bis geminæ, pia turba, Deæ, ſtant ordine circum
Quadrato, ſaxiſque arcem ſpirantibus ornant.
Has olim Aſſiduos tecum, BATHURSTE, labores
Aſſuetas perferre ſimul, doctiſque ſub horis
Condere victuræ monumenta perennia famæ;
Tandem, ſic meritas, regna in meliora remittis,
Et patrio reddis felicia numina Cœlo.
Publius. *Qualia, Tarpeii patuit cum Gloria Templi*
Ante fores paſſim populorum dona frequentum
Fulſere, hinc illinc auguſtos munera poſtes
Ornarunt, ſpoliiſque Tholus rutilavit opimis:
Tale decus, talem celeberrima mœnia pompam
Oſtentant, talis noſtro venerabilis ævo
Conſpicitur ſedes. Illi omnis terra ſuperbas
Pandit opes, illi pretioſas Flandria quercus,
Proceraſque altis ſubmittit montibus ornos:
Dives odoriferam præſtat Panchaïa cedrum,
Et bicolor Pariæ marmor tribuere fodinæ.
Quintus. *Qualis Caucaſius mortalia membra Prometheus*
Cum junxit, tenera & naturam paſſa recentem
Terra animam mirata ſuam eſt, timuitque moveri
Ipſa ignara ſui; tales nunc (credere fas eſt)
Formatas meliore luto digitumque ſecutas,
Et jam prima novæ nactas veſtigia vitæ,
Innumeras variata vides per tecta figuras.
Tam pulchra ingenui quondam monumenta laboris
Non manibus pinxit Zeuxis, non finxit Apelles.
Publius. *Ergo libet placare Deos, numenque precari*
Ne Pater Ignipotens, artis dum ſingula luſtrat,
Fabrileſque operas miratur, & aſpera ſigna,
Suſpirans altum atque invita mente recordans,
Talia ſe nunquam Æoliis vidiſſe ſub antris;
In latera, inque pii tectum admirabile templi
Vindicibus flammis, & aperta ſæviat ira.
At tu, Verſalico potius tam dira tyranno
Succenſus, Galliſque parans ea fata columnis,

(Sic

(Sic te ſemper amet, ſic te, Vulcane, Gradivo
Præferat Alma Venus) motos compone furores,
Et ſacris prohibe infandos à turribus ignes.
Ni facias, iterum fati irremeabilis ordo
Flectendus retro, & Divum reſeranda voluntas,
Quæ meliore novas dignata eſt omine ſedes,
Venturumque dedit numeroſa in ſæcula nomen;
Verum age, (facundi namque altera, Quinte, laboris
Materies inſtat, cogitque in carmina feſſos)
Juſſa Deum relegens, ſi quicquam Oracula noſti
Ingredere ex alto caſus memorare futuros.

Quintus. *Sancta Domus! Queis tu meritis & honore vigebis*
Inclyta? qua fatum implebis pietate? quot olim
Heroas veneranda dabis, quot millia Divum
Æternoſque avidis Cives inſcripſeris aſtris?
Felices animæ! non has biſſena laborum
Prodigia, aut peragrata maris terræque pericla,
Recluſive aditus Erebi, voceſve faventum;
Sed pia Religio, & ſancti reverentia juris,
Et Pudor, atque ardens evexit ad Æthera virtus.
Parte alia cœleſte ſolum, & regnata beatis
Arva BATHURSTE tenes, puroque recumbis in Oſtro,
Qua pius à Dirce Vates, Teucerque Cecropſque,
Qua Pater Æneas, qua nobilis umbra Quirini,
Et quot ab extructis debetur Gloria muris.
Illi omnes media cœli regione ſuperbis
Conſidunt ſoliis, ſculptoque adamante quieſcunt.
Laudes quiſque ſuas: Tu Trinæ conditor arcis
Diceris, primumque feres primo agmine nomen.

Publius. *Fortunata Domus! Non te, vel barbarus enſis,*
Sacrilegæve manus, tempuſve potentior Hoſtis
Dejicient, & picta ſolo laquearia ſternent.
Sed dum Syderius volvetur curſibus orbis,
Ponderibuſque ſuis Tellus librata quieſcet,
Alta, auguſta, ingens, cunctos firmata per annos
Stabis, & æternum vives immobile ſaxum.

Quintus. *Fortunata Domus! Non te tantum æmula cœli*
Turris, & exſculptis ſplendentia culmina formis,
Quantum nota procul pietas & fama Tuorum
Attollent ſuperis: eadem nam paſſibus æquis
Aſtra petent, junctoque ſacræ Virtutis amore
Tu pinnas, illi palmas ad Sydera tendent.

PERORATIO.

SATIS jam tandem (Academici) occluſas Theatri portas & interruptum tam diu Encæniorum ordinem hodierna compenſavit Exercitatio. Exercitatio quidem digna quæ inter Subſellia Sheldoniana exhiberetur, & illuſtrem hanc inveniret Auditorum coronam: nihil amplius jam de ſilentio Academiæ querimur: Novem annos conticuit hæc Auguſta ſtrues, at lucramur moras quibus facundiam vidimus ad tantum robur & venuſtatem adoleſcere. Omnia Lemmata tanto Ingenii acumine pertractantur ut nihil reliquum ſit quod mihi potius peragendum videatur quam ut illa coner quæ ſunt prius recitata (quouſque valeam) juſtis Laudibus excipere, & ab adminiſtratione Muneris quod ſingulis in quâque facultate delegatum eſt, Orationis meæ ſi potuerim exemplum, ſin minus, Argumentum deſumere. Oratores habuimus partes ſuas ita ſtrenue ſuſtinentes ut inter Cicerones & Hortenſios videatur denuo certamen redintegrari. Poemata audivimus tanta arte concinnata ut vix melioribus unquam Auguſti olim inſonuerit Theatrum. Et cum ordo poſtularet ut aliquid in Regis laudibus niteremini (ampliſſimo quidem campo ſed difficillimo curſantibus) vix jure poteſt objici quod Regis merita Perorantium elogiis minuerentur. Gulielmi Regis cujus ſub auſpiciis omnia grandeſcunt, & Jerni ſæpe ſolent innatæ indolis pœne immemores nonnihil dignum Viris aggredi. Qui inſolentem coercuit Ludovici Tyrannidem; qui jam nunc dum veteres hodie Triumphos memoramus, novos meditatur, futuriſque Encæniis nobiliora parat Argumenta. Audito Gulielmi nomine inter media vallorum Munimenta tremiſcit hoſtilis acies, non auſa egredi, nedum Manus conſerere, ſed avulſis temere caſtris inſtar Victoriæ habet noctu clam aufugere.

O! beatum Britanniarum Inſulam! cum indulſit cœlum ut ſub imperio tam bellicoſi Principis floreſcat, & tot eruditos Juvenes ſortiatur Panegyriſtas, apprime dignos à quibus geſta Principis celebrentur. Per Lutetiæ plateas erigantur Triumphales arcus, & verſiculis quoſcunque libet inſcribere, Ludovico ſuo monumenta diſcant aſſentari. Illius laudes ingeminent Academiæ, & Muſæ ſicuti Vulgus ſupparaſitentur, cum interim

interim neceſſe eſt, ut ſterileſcat Adulatio, niſi juvat de emptis ſpoliis gloriari. Sat illis ut Furta & rapinas Victoriarum nomine cohoneſtent, & illa Præconiis tollant quæ ſtigmata merentur. Venalis Encomiaſtarum Natio! quæ tali Regi ea tribuunt, quibus vix majora aut Heroum olim, aut nunc Gulielmi Triumphis debeantur. Hujuſcemodi laudibus inflatus affectat Europæ Imperium, arrogat ſibi Magni nomen, Facultates ſubditorum profundit & ſanguinem quum in Ingenium ſuum omnia corraſit quæ Ambitio exigit, unam præter Fortitudinem. Si quando ſuſtinet ſe in caſtra recipere, grande ducit ut Perſarum more progrediatur mulierculis ſtipatus, viæ & Militiæ comitibus, harum apparatus inter belli Sarcinas reponit, quas tamen nuper deſerüit urgente periculo, non dignatus vel hiſce Deliciis ſuis ſuccurrere, aut hoſtili ſanguinis Regales unquam Manus polluere. Impotens certe qui ullis Terrorem incutiat, niſi iſtis forſan quibus infauſto quodam ſydere contigit, ut illi ſubjugarentur. Hæc ſunt magnanimi hujuſce Regis facinora, quæ tanto Encomiorum faſtu undique apud Gallos efferuntur, vel ob hoc quidem dignos, qui Glorioſum Patriæ ſuæ Tyrannum ſero amittant, & diu de ſervilibus Ludovici iſtius magni vinculis ſuperbiant.

Quin ab hoc Indignantis Orationis ardore (ut quiſnam Ludovicum cogitet nec interim indignetur?) ad vos iterum eruditi juvenes noſtra redirent Præconia, niſi quod illum in conſpectu habeamus qui Vobis Ingenia veſtra exercendi locum præſtitit & Facultatem, & cujus favori debetur quod voſmet ipſi Laudes quas ab omnibus accepiſtis hoc tempore mereamini. At dum ad laudes Tuas, inſigniſſime Vice-Cancellarie, noſtra aſſurgeret Oratio iſtud mihi in re tanta difficillimum occurrit ut aliquam ex reliquis animi tui dotibus ſeligerem quæ præter cæteras mereatur celebrari. Si Theologiæ, Linguarum, Mathematices, Poeſeωs aut Philoſophiæ Tuæ laudes aggrederer, novam ſtatim ſuboriri video Admirandi materiem quæ non ullis poſſit Elogiis exhauriri. Nec iſtud certe minimum eſt quod dum mentem omnium artium & ſcientiarum habeas capacem, tantum tamen abſis ne aliquo mentis faſtidio reliquos deſpicias, ut de propriis Meritis vix Tibi ipſi conſcius videaris, & cum omnia cætera noris, hoc ſolum neſcias quod noris omnia. Liceat ideo mihi ſuum hunc Academiæ gratulari Gubernatorem cujus ſub imperio Muſæ denuo reviviſcunt, Theatri iterum complentur ſubſellia, & tota Academia triumphat, Quicquid hodie auditur vel adhuc reſtat audiendum in illius cedit

PERORATIO.

Encomia & in illum tanquam Autorem omnes referri debent ſpectatorum plauſus. Jam tandem Literis ſui redeunt Honores, dum nulla gentis noſtræ plaga adeo penitus ſemota eſt, ut non plures Indigenarum huc dimittat Auditores, qui veneranda hæc Patrum concilia taciti mirantur, parati in patriam Togatorum deferre Encomia. Turbam hanc peregrinam undequaque per compita videmus interfuſam, elegantia Collegiorum ædificia, Auguſtam Scholarum pompam, & eruditam Bibliothecæ ſupellectilem, intuentem, laudantem, obſtupeſcentem.

Nihil jam tandem Auditores mihi ſupereſt quod in Academiæ gloriam exoptarem, niſi ut annis venientibus, Publica hæc renoventur Comitia, & tam inſignem ſemper habeat Auditorum Frequentiam.

FINIS.